ΣΥΝ ΘΕΩ!

ORDO ET METHODUS

cognoſcendi & curandi
graviſſimum inteſtini tenuioris affectum

ILEUM,

PRO DISSERTATIONE INAUGURALI,
ita
conſentiente & ſuffragante gratioſiſſimâ Facultate Medicâ
in illuſtri ac florentiſſimâ ad Salam Academiâ,
SUB PRÆSIDIO
*VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI
ATQUE EXPERIENTISSIMI*
DN. JOHANN. ARNOLDI
FRIDERICI, Phil. & Medic. Doctoris, Anat. Chirurg ac Botan. P. P. celeberrimi, Medici Provincialis Sereniſſ. Principis Saxo-Altenburgici meritiſſimi,
Dn. Præceptoris ac Promotoris ſui devenerandi,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES,
PRIVILEGIA ATQUE INSIGNIA DOCTORALIA
LEGITIME AC SOLENNITER CAPESSENDI,
publico examini ſubmiſſa
à
CHRISTOPH - ERNESTO STEMPEL
ANNÆBERGENSI MISNICO
In auditorio majori
ad. d 20. April. Anno M DC LXVI
horis ante & pomeridianis conſuetis.

JENÆ Typis SAMUELIS KREBSII.

C. I. M.

PROOEMIUM

ILIACAM in causis, signis & curatione cum colicâ communicare, autor *Avicenna* est. *Rhasen* quoque & hujus commentatorem *Gradum* cùm eo sentire, minusque hosce affectus à se invicem distinguere, cum de utrisque sub uno scripserint capite, referunt *alii*. Verum falsi crimine. Non solum capitum inscriptio adspicienda, sed & quâ ratione ea pertractentur, scire necessum est. Ordinem hunc servare voluit *Gradus*, ut quemadmodum duæ principales intestinorum dispositiones, sine fluxu nimirum & cum fluxu dantur, ita & easdem in duobus capitibus delineet & explicet. Agit quidem de illis & conjungit istos tanquam sorores, uti *Valescus* inquit, aut qui fraternâ quâdam societate juncti sunt, ut *Magnif. Rolfincius* ait. Colicam tamen strictè dictam ab iliacâ propriè sumptâ maximè distingvit. *Avicennam* quod attinet, *eundem hic ipse* ita exponit, quod expressis licet verbis hosce ut diversos non attenderit, verè tamen eosdem distinxerit.

Et optimè cognitum nos habemus errorem veterum, qui vel horum distinctionem planè neglexerunt, cum, ita annotante *Mercurialis. var. lect. 11.* omnia intestinorum atque ventris tormina uno ferè ilei nomine significavêre, quod clarius ex ipsâ historiâ Tiberii Imperatoris, *autore Plinio l. 26.* patet: vel etiam minus dextrè id fecêre. Nam

 referen-

referente *Celso l.4. c.13. Diocles Caryſtius* tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἴλεον vocavit; aſt citra omne recentiorum ſuffragium.

Verum *nos* etſi non denegemus quod perfecta & integra inteſtinalis diſpoſitio modo hujus, modo illius nomine exprimi poſſit, & quod fieri non poſſit, ut non aliquid mali propter vicinum malum patiatur alterutra, unde judicium difficultatur. Diſtingvimus tamen eam, diverſæque conſiderationis tam ratione ſubjecti, cauſarum, ſignorum & remediorum nonnihil, ut rectè annotavit *Arculanus* & cum eo *Foreſtus obſerv. & curat. l. 21. obſ. 18. ſchol.*, nec non *Arn. Villanovan. brev. l. 2. aliique*, cenſemus.

Quâ de re etiam ex mandato & conceſſu gratioſæ Facultatis Medicæ affectum hunc ILEUM loco Inauguralis diſſertationis, & pro LICENTIA, ut dicitur conſequendâ, eligere & publicè defendere, nobis eſt animus. Hic verò labor, ut feliciter cedat, faxit Altiſſimus!

CAPUT I
exorditur definitionem nominalem.

Obtrectatores circa Onomatologias heîc non audiamus, ſed inoffenſo pede progrediamur.

ὉΜΩΝΥΜΊΑΝ itaque quod ſpectat, plures hæc indicat eſſentias (α) denotat ileum inteſtinum, quod in tenuium ordine ultimum exiſtit. (β) quemcunque ſignificat acutum & intolerabilem ferè inteſtinorum affectum, ut nos ita erudimur *ex libris Hpp.* ſub cujus nomine tunc temporis colicus dolor exprimebatur. (γ) Scelotyrben ac ſtomacacen veterum *alii* ſub volvuli ſeu ilei *αἱματίτης* vocabulo comprehen-

prehendunt, uti *Hipp. l. d. intern. aff.* teste *Langio l. 2. epist.* 14. (δ) nomine æquali cum hoc gaudet χόρδαψος ξύμφυτος *Hipp. in coac prænot.* dictus, quem Tænia seu latus facit vermis, *autore Dureto comment. in coac. Hipp. l. 3. tr. 2. in app. p. 335.* (ε) nomen commune constituit χόρδαψος, *mulomedicis* cognitus affectus, ubi jumenta cibum vel per os vel per nares rejiciunt, uti annotat *Mercurialis l. 3. pract. c. 27.*

Verum hæc omnia nihil nobis facessunt negotii, solliciti tantum nos sumus de affectu ileo in intestino tenuiore graviter exorto, ubi ob inversarum fibrarum motum excrementa, quæ deorsum excerni debent, retinentur, & cum fœtore & abominatione per os rejiciuntur.

ΣΥΝΩΝΎΜΟΙΣ græcis qui delectantur, sunt qui εἰλεὸν sive εἰλεόν, utrum rectius *vid. Lindanum in sel. med. l. 1. exerc. 4. p. 53.* appellant, *alii* qui χόρδαψον, φραγμὸν *sepem*, quia reverà viæ intestinorum ita obduratæ sunt, ut nullus excrementis transeundi pateat exitus, ut nuncupant *medici Pythagorici, aut. Hollerio in comm. 2. in l. 3. coac. Hipp. p. 365.*

Nomina virtute græcis æquipollentia ex suo fonte depromunt *Latini.* Ileus apud *plurimos* audit. Dolor iliacus vel passio iliaca apud *alios*: sunt autem, qui distinctionem quandam inter hanc & ileum prætendunt. Volvulus salutatur, à torturâ intestini *Horst. dec. 6. quæst. 2. p. 163.* convolvulus item vel circumvolvulus à *Petræo*; Affectus volvulosus, imitatione græcorum, quibus quidem nominibus animalculum quoddam pampini foliis se intorquens & implicans nominant, audit *apud Plaut. castel act. 4. sc. 2. 63. Georg. Alexandr. in enarrat. prisc. voc. d. re rust. & alios:* Unde & simili voce affectum hunc inscripsit Sepia volvox *Lindanus l. c. exerc. 5. Scaliger* quidem vult *in d. insomn. 45.* malum hoc ita dici non posse, utpote hujus neque materia neque affectio volvatur. *Plurimis* commune nomen est, & colicam & ileum denotans. Absolutè tamen positum rectius de ileo accipitur.

Celsus l. c. morbum intestini tenuioris vocat, *Aurelianus 3. acut. 17.* acutum tormentum, *For. l. c.* colicæ augmentum & incrementum. *Barbaram* sectantes medicam & *vulgares*, misere

fere mei ob insignem & acutissimum dolorem, & quod commiseratione dignum malum sit.

Germanis appellare libuit das Bauchgrimmen / alii das Obergrimmen / Darm-Gicht.

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙ'Α in græcâ voce multi juris esse creditur. Dicitur *εἰλεὸς ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν*, quod *coarctare*, *εἰλεὸς* verò *ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν*, quod *volvere* & *contorquere* significat. Posterius acceptat *Galenus 6. d. loc. aff. 2.* cui contrariatur *Hoffmannus*, *3. instit 147. §. 1.* & *Galenum* ex vulgi sententiâ loqui dicit.

Aliam derivationem sequuntur *Petrus Franc. Phrygius comm. in hist. epid. Hipp. ægr. 9. & plures alii ex Rhase παρὰ τὸ ἐλεεῖν à miserendo*, quod olim commune nomen erat ilei & colicæ, ut patet *ex Aretæo l. 2. de caus. & signis acut. c. 6.* quam verò ut absonam ac inscitam, & in totâ græciâ minus fundatam rejiciunt *alii*.

χόρδαψος cum hic affectus dicitur, deducitur *ἀπὸ τοῦ χορδῆς ἅπτεσθαι* à chorda tractabili, quæ à *veteribus* tenue creditur intestinum, cum illud adeò distendatur, vel tumor ejusdem intestini ita emineat, vel ad chordæ similitudinem convolvatur & contorqueatur, ut vult *Gal. l. c. & Levin. Lemnius l. 2. d. complex. p. 153. Petræus verò diss. harmon. 30. p. 121. παρὰ τὸ χορδεύειν, implicare, inchordare, irretire, coquorum more involvere* explicat.

Unde impositum hoc nomen sit, omnes non conveniunt. *Quidam ἀπὸ τοῦ βεβλαμμένου μορίου* volunt. *Alii ἀπὸ τοῦ συμπτώματος*, quod in hoc malo intestina circumagi videantur, *autore Galeno 2. m. m. c. 2. Alex. Massariâ l. 3. pract. med. c. 19. Eminentiss. Rolfincio præceptore & promotore submissè devenerando ord. & meth. med. spec. comment. l. 2. c. 1. p. 14.* Si qui sint, qui *ἀπ' ἀμφοῖν ἅμα* derivare volunt, iis liberum sit.

CAPUT II

definitionem οὐσιώδην ejusque formalem rationem exprimit.

Novas exstruere definitiones, præprimis si minimè desint perfectæ tales, & ad bonæ definitionis regulas applicatæ, opus haud censemus. Ideoque & nostram esse volumus

mus istam ROLFINCIANAM *in epit. meth. cogn. & cur. partic. corp. aff. l. 3. c. 14.* propositam.

ILEUS *est tristis & corruptiva tenuium intestinorum sensatio cum fecum retentione omnimodâ & vomitu molestissimo, orta à violento tangibili & motu fibrarum intestinorum & præcipuè ilei inverso.*

GENUS seu FORMAM esse *tristem corruptamve sensationem cum alvi adstrictione & vomitu molestissimo, testantur Cous. l. 3. d. morb. & Gal. 7. aph. 10.* quorum *iste* μήτε τὸ πνεῦμα μήτε τὰς τροφὰς *neque flatus neque alimenta* intestinum transmittere dicit. Hic verò ἐν τοῖς εἰλεοῖς οὐδὲν ὑπέρχεσθαι κάτω, καὶ τοῦτο ἐστιν ἴδιον ἀχώριστον τοῦ πάθους *in ileo proprium & inseparabile signum esse* pronunciat, *nihil subire deorsum.* Quod vomant interdum non assumpta solum & humores alios corruptos excrementitios, sed & ipsas feces, testes sunt *iidem locis citatis.* Et refert *Brassavol.* quod ad viginti duos annos in suâ praxi nondum viderit ileum sine vomitu. Unde & *Philotheus* εἰλεός ἐστιν ἔμετος τοῦ κόπρου *ileus est vomitus stercoris.*

Cujusdam quidem censura & injuriæ heîc metuendæ essent, sed nos non curamus. Aperto capite maximè sunt devenerandi, qui de arte medicâ benè sunt demeriti.

Adulationem nullam heîc committimus, si cum aliis excellentissimis medicis ileum *per sensationem corruptivam* definiamus. Utimur autem hâc locutione, utpote quæ notior est ac evidentior in conceptu mentis, licet idem videatur cum dolore, *teste Magnif. Rolfincio ord. & meth. l. c. p. 22.* Et atrox sanè, acutus & intolerabilis fere dolor percipitur, ita quoque huic affectui proximè adhæret, ut neglectis aliis unicè ferè ad hunc mitigandum respectus haberi debeat, ineptum itaque non est à symptomate maxime urgente & quod perpetuo adest, affectum aliquem definire.

Tristis autem hæc est, non quod omni delectationi eam opponamus, sed quæ inimica tantum est tactui ex perceptione tangibilis violenti sive ingrati. Omnium enim tenuissimum sensusque eminentioris præ cæteris est intestinum ileum.

Corruptivam dicimus eam. Nam non omnis sensus ablatus est, sic enim nullus dolor fieret; nec adeo imbecillis est, velut

lut in ſtupore imminutus dici meretur: Satis quippe exquiſita eſt hæc triſtis perceptio. Sed eſt depravatè corrupta. Dum enim actio ſentiendi formam naturalem amittit, nimisque augetur, depravata dici dignatur.

Fit autem dolor, quando objectum ingrati tangibilis in organum tactus agens, ſolutionem continui, quam unicam cauſam immediatam doloris eſſe dicimus, procreat, peracto hôc, ſpiritus animalis ſpeciem objecti hujus improportionati furſum ad cerebrum defert, ut ita in homine accedente appetitu intellectivo ἐν πρώτῳ αἰσθητηρίῳ dijudicetur.

Non itaque attendimus *Quercetani conſ. d. arth. p. 297.* ſententiam, qui ſpiritum aſtralem per totum corpus diffuſum eſſe dicit, eumque eſſe qui ſentiat, qui doleat.

Ex his nunc patet, ad quamnam claſſem rerum pr. nat. ſit referendus ileus. Excrementa, quæ quidem naturalia ſunt, per inconſuetas vias, per os nimirum rejiciuntur, ad ea itaque ſymptomata, quæ excretorum & retentorum dicuntur, & toto genere peccant, eſt reducendus. *Mœbius in tabell. ſuis* ad ea quæ quantitate peccant, refert. Si quis ad actionem inteſtinorum læſam referre velit, cum eo non litigabimus, cum & in ipſis tenuioribus inteſtinis coctio chyli & ejusdem à fecibus ſeparatio inſtituatur, in hoc verò affectu omnis actio depravetur.

CAPUT III

ſubjectum aggreditur.

DEvolvimur nunc ad SUBJECTUM, ubi conſiderandum iſtud venit UT QUOD, & totus ita hic ſeſe ſiſtit homo, & corpore & animâ, tanquam integrantibus & eſſentialibus ſuis partibus, affectus, anima tamen non niſi mediante corpore, utpote quæ planè impatibilis eſt.

UT QUO iſtud conſideratum eſt ſolum corpus hujusque partes viventes, imprimis verò ex triplici earundem differentiâ ſolidæ ſic dictæ, licet non excludamus humoroſas *teſte Gal. 3. d. loc. aff. c. 5.*

Pars itaque PRIMARIO affecta ſeſe ſiſtit ILEUM inteſtinum, *Celſo* tenue, ob ſummam tenuitatem, dictum, licet innuente

Plinio

Plinio h. n. l. 11. c. 37. ex priſcorum mente denominatio hæc tenuium competat ſolum reliquis animantibus, præter ovem & hominem, in quibus lactes dicuntur. Salutantur quoque pantices à pandendo, quòd ventriculum pandant. Hoc autem inteſtinum cum exquiſitiſſimi ſit ſenſus, ſæviſſimos quoque fovet dolores; cùm numeroſâ venarum & arteriarum ſobole ſit dotatum, multisque ſinuoſis anfractibus & gyris præditum, multis quoque obnoxium calamitatibus, & quæ diutius in iſto latere poſſunt; cum ſit longiſſimum omnium & medium ferè, cæteris facilè conſentit, ſeque circumvolvi patitur; cum ejus denique ſitus ſit circa umbilicum ad latera ſub hypochondriis & infra jejunum, quâ parte circumvolvi incipit, ad coxas usque & ilia tendens, ibidem quoque fixi cruciatus permanent & ſtabiles.

Verùm contentionem amans Eris tela ſua vibrat, annon etiam reliquorum inteſtinorum aliquod, imprimis Colon, cùm in eo inflammatio & omne tumorum genus, & pituitæ congeſtiones ac durities ſtercoris & copia, æque ac ileo accidere poſſit, pro ſubjecto primario ſit agnoſcendum, uti putat *Ludov. Mercatus l. 3. d. intern. morb. curat. c. 16. p. 315.* Sed reſpondemus quod non: Licet enim non negemus in eo ob communem naturam & ſocietatem operis, uti loquitur *Lindan. in phyſiol. capit. 52. 53.* oriri poſſe dolores aliaque ſymptomata ileo ſimilia, non tamen ipſam formalem ejus rationem exprimunt. Quod autem *citatus Merc.* dicat, neque experimento, neque autoritatibus, neque rationi id eſſe adverſum, nondum ſatis probatum eſt. Experimentum enim quod attinet, id probat ex doloris ſenſu evidenter non rarò conſiſtente infra umbilicum, deinde quod ſtercus per os rejiciatur. Verùm, errorem vetuſtiſſimum hic errat, dum aliorum vult inſequi veſtigia, inteſtina tenuia omnia ſupra umbilicum, craſſa verò infra ſepoſita eſſe, judicans: quod quidem verum reperitur in ſectione quorundam brutorum, aſt non in cadavere humano. Perſpicaciores enim ſecurioresque nos reddidit αυτοψία, in ipsâ anatomiâ humanâ, quàm ſæpius & Wittebergæ & hìc, *ab excellentiſſ. viris D. Mich. Sennerto & D. Friderici, diſput. hujus Præſide graviſſimo,* ſummâ

B cum

cum dexteritate administratam vidimus. Unde etiam, experientiâ teste, sæpius ex peritonæi ruptione, laxatione vel aliâ ex causâ, eâ parte, quâ vasa spermaticâ ad testes exeunt, intestina in scrotum prolabuntur, herniamque ingvinalem efficiunt.

Alteram rationem quod spectat, stercus nimirum per os rejici, negare nemo potest, quod in intestinis crassioribus hoc separatum non contineatur, sed hoc ipsum non probat, colon esse primarium volvulosi affectus subjectum. Probabile enim est, quod ex maximo vomendi conatu aliquid ex cœco vel etiam colo regurgitare possit. Insuper veritati sat consonum, quod primariò læso ileo chylus non modo corrumpatur, nulla segregatio heterogeneorum fiat, sed ex admistione corrupti alterius humoris ipsa ingesta putredinem concipiant, unde & isti fecales & maximè fœtidi vomitus.

Patrocinantem nos habemus *Galenum l. 3. de fac. nat.* si quis stercus vomat, *inquit*, clarissimum sit tibi signum, subtilia intestina esse affecta. Et licet aliter explicetur, explicatio tamen magis obscura est, quamvis, cùm luce meridianâ sit clarior, alterius expositione non indigeat. Alia loca ut *3. epid. comm. 2. c. 6 in historiâ mulieris volvulosæ*, si forsitan tibi contraria videantur, scias volumus, illum loqui non ex propriâ suâ sententiâ, sed ex aliorum opinione, ut nobis ita suffragatur *Hollerius comment. in aph. 44. l. 6.* ubi & ipse fatetur & ab omnibus ferè concessum esse dicit, fieri ileum in tenuibus intestinis & non crassis. Et certe non contemnendum istud est, quod habet *Hollerius l. c.* Si ponamus, *inquiens*, illum esse à tuberculo vel inflammatione, quæ intercipiat intestinum tenue ut ileum, quomodo poterit revocari inde stercus & revomi? At si sit in crassis intestinis inflammatio, aut pituita crassa & viscida, aut stercus durius, quod viam intercipit, potest stercus evomi, quod efformatur in cœco & colo intestino.

Tandem quæso, quærimus, annon quælibet ferè pars corporis, nobilior hæc sit sive ignobilior, peculiarem sibi adscribat affectum. Quis ergò volvulosum affectum intestino ileo velit denegare, & quod ipsi solùm competit, aliis quoque adsignare. Concludimus itaque. Ubicunque datur affectus

ileus

ileus, ibi ileum quoque inteſtinum afficiatur neceſſe eſt.

Verùm quò hæc omnia clariora reddantur, modum adjungimus, quo affici patiatur hoc inteſtinum. Duplex autem hic eſt per ἰδιοπάθειαν unus, alter per συμπάθειαν. Ἰδιοπαθικῶς afficitur, quatenus eſt pars organica, multisque ſimilaribus partibus conſtat, quæ omnes alterationi ſunt obnoxiæ. Per SE autem affectum dici poteſt κατὰ συναθροισμὸν, γένεσιν, καὶ διάθεσιν, *ſecundum congeſtionem, generationem & pravam diſpoſitionem*. Et quidem viciſſim dupliciter, πρωτοπαθικῶς *primariò*; & δευτεροπαθικῶς, cum ex alterius *conſenſu* longiori iſtud tandem per ſe laborare incipit.

Per CONSENSUM quoque quòd afficiatur, quilibet affirmabit: Sive POSITIVAM conſentiendi rationem concederet, quæ *Avicennæ* COMMUNITAS NON ABSOLUTA dicitur, ſive PRIVATIVAM *ipſi* ABSOLUTAM dictam. Communicari autem materia *priori modo* poteſt vel 1. κατὰ μετάπτωσιν, quæ κοινωνία reſpectivè ſumpta ſalutari poteſt; vel διαδοχὴ vel μετάστασις, quatenus nimirum vel à parte ignobiliore vel nobiliore ipſo, transfertur ad ſe materia; vel 2. κατ' ἐπιγένεσιν, uti forſitan infra pluribus agendum erit.

Ipſa MATERIA varia eſſe poteſt, humores nimirum iidemque varii generis, ſpiritus, flatus. &c.

VIÆ, per quas communicatio hæc fiat, ſunt ex *recentiorum* mente arteriæ, quæ in magna copiâ hic conſpiciuntur, vitam & nutrimentum eò deferentes; ductus pancreaticus & porus biliarius, qui quidem immediatè ileo non inſeruntur, eorundem tamen ſuccus communicatur nervis, à quibus ſenſum & motum largiter recipiunt.

Poſterior verò conſentiendi ratio apparet exinde, quod circa extremum ſuum laxioribus gyris annexum ſit meſenterio, vicinum ſit cæteris partibus, imò continuum reliquis inteſtinis, vel etiam mediantibus nervis aliis conſpiret, quæ κοινωνία διὰ ὁμοεθνίην ob *ſocietatem, cognationem & adfinitatem* fieri dicitur. Vel etiam contingere poteſt, quod ipſi denegetur affluxus ſucci pancreatici aut bilioſi, qui tamen ad eam actionem, quam exercet, valdè eſt utilis, quæ conſentiendi ratio propter rei utilis privationem συμπάθεια immaterialis audit.

CAPUT IV
causam immediatam & mediatas proximiores proponit.

CAUSAM IMMEDIATAM, ἄμεσον græcis dictam, rectè cum *Sennerto & Rolfincio*, diximus *motum facultatis intestinorum* περισταλτικόν, cum convolutione, nonnunquam etiam mutuo ingressu, & uti clarè satis *VIR hic Magnificus* sese evolvit, τῆς συνεχείας λύσει fiente & βιαίως καὶ ταχέως *violenter & celeriter* agente.

Quod enim naturaliter intestina tenuia, obscurè licet, moveantur, apud omnes penè in confesso est, & ratio quoque dictitat, impulsum aliquem requiri, quò chylus à partibus superioribus ad inferiores promoveatur. Hinc quoque quàm aptissimè motus hic comparatur lumbricorum terrestrium motui, qui partes corporis successivè tantum movent. Præprimis autem valdè necessarius est ileo intestino, utpote quod chylum non modo distribuit, sed & feces corpori alendo ineptas versus inferiora protrudit. Et hujus quoque κινήσεως mentionem fecit *Gal. 3. de vict. rat. in acut. t. 33.* eamque denominavit φυσικὴν ἐνέργειαν περισταλτικὴν, cùm τὰ περιεχόμενα *contenta*, nimirum cibus & feces ταχέως *celeriter* deponuntur. Id quod fieri dicit, ὅταν ἄνωθεν ἡ κίνησις ἄρξηται, *cùm supernè motus est exordium.*

Audit hic motus intestinorum apud *Græcos* κίνησις περισταλτικὴ, ἀπὸ τοῦ περιστέλλειν, uti explicat *nobiliss. Rolf. in epit. meth. cogn. & cur. part. corp. aff. l. 3. c. 14. p. 269.* quod est κατέχειν *complecti firmiter* & σφίγγειν *stringere*, nihilque aliud esse dicit, quàm motus constrictionem promovens.

Verùm nihil tàm horribile, nihil tàm immane excogitari potest, cujus corpus nostrum non sit subjectum. Ipsa natura heîc in ileo videtur, ac si sese inverti pateretur. Horrendum auditu est, quod alvinas feces, à quibus oculi se deflectunt, nares abhorrent, si de iis modo mentio fiat, aures obturari satagunt, manus ipsæ quoque eas contrectare repugnant;

ventri-

ventriculus recipere, & quod majus, lingua gustare cogatur, idque ob *motum facultatis*, ut diximus, *inversum*.

Et certè haud leve quid est, quod veteres causam hanc non attenderint, cùm tamen maximi in curatione sit momenti. Nec *Galenum* hi accusare possunt, qui satis clarè hanc *κίνησιν l. c.* addidit, ita describendo, quòd sit *παρὰ φύσιν, ὅταν κάτωθεν ἀρξαμένης αὐτῆς ἄνω φέρεται*, *præter naturam, cum motio infernè capit exordium, & sursum omnia feruntur.* Et hanc quoque *κίνησιν περισταλτικὴν* præter naturam in ileo locum habere dicit *l. 3. d. sympt. caus.* Per similitudinem quandam istam ita delineat: Haud secus, *inquiens*, quàm in vomitu contingit, in quo villi oblongi œsophagi incipiunt trahere ab infimâ parte, dum vomitum movent, sicut à supremâ, dum voratum exsequuntur, sic profectò res prorsus contingit in volvulo. Idipsum ulterius etiam clysmate injecto probare conatur.

Nostræ assertionis fundamentum, quò ponamus, fulciunt istud historiæ quædam notatu maximè dignæ, breviter adducendæ. Et primò loco huc facit ea, quam habet *Guainerius tract. 5. c. 2.* suppositorium nimirum per os rejectum in ileo fuisse. Alteram refert *D. Jacobus Oetheus* de uxore cujusdam fabri ferrarii, puerperâ, quæ partem candelæ sebaceæ, loco suppositorii ano immissam, postero die vomitu rejecit. Et tertia, quam allegare nobis animus, licet hujus fidem ferè omnem superet, autor est *Matth. d. Gradibus in pract. c. 5. p. 229.* eam recensens de juvene quâdam 12. annorum iliacam passâ. Hæc perplures clysteres partim sine materiâ humorali aut fecali, partim cum tali mistos revomebat. Aliud periculum cum facerent usu suppositorii, ecce, istud, quod erat sat longum, infra spacium temporis, quô diceretur, ut iste ait, pater noster cum Ave Mariâ, parum incurvatum per os eductum fuit. Altera glans filo appensa & ad coxas ligata, injecta est, quæ iterum tamen rupto filo cum parte hujus sibi appensi, fuit rejecta. Tertiam ipsi immittebant glandem, quadruplici filo fortiter ad coxam alligabant, & hæc vicissim post modicum tempus ruptis filis per os cum hisce remittebatur. Ultimam tandem sat magnam in intestinum rectum supposi-

tam,fortiter manu prehendere jussit, ut prohiberetur, quo minus ista adscenderet. Verùm tanta cum violentiâ & hæc sursum tendebat, ut nisi protinus extracta fuisset, simili eandem ratione, quâ priores, misera hæc evomuisset.

Quis itaque non videt, oriri hoc malum vitio attractricis facultatis, inverso agendi ordine procedente.

Tractum hunc aliquo modo pulsum esse vult *Lud. Mercatus*, qui videatur *l. supra cit. p. 316.*

Non itaque cum iis facimus, qui vel inflammationem vel aliam substituunt causam; *nos* easdem ad causas proximiores mediatas esse reducendas, duximus. Agemus itaque de iis, ubi de rebus præter naturam caput erit collocandum.

Nunc de MEDIATIS iis, quæ *essentiæ suæ ratione* vel VAPORUM vel HUMORUM nomine considerandæ veniunt, & PROXIMIORES quoque dici merentur, erit disserendum.

De FLATIBUS verò, tanquàm causa, ambigere hîc videmus autores. *Galenus 6. d. loc. aff. c. 2.* negare videtur, quoniam hi partim ratione essentiæ suæ, quæ spirituosa est, mobilis & permeabilis; partim etiam ipsius tenuium intestinorum substantiæ, quæ mollia sunt & rara, quam facilimè exhalare valeant. His quoque consentit *Jachinus*, & cum hoc *Forestus*, qui *obs. 11. l 21. schol.* tantos eos haud esse dicit, ut sufficerent ileum producere.

Verùm *nos* non videmus, quo jure flatus sint rejiciendi. Præterqàum enim quod homo attrahat aërem, per poros quoque qui ingreditur, & cum assumtis simul corpus replet. Hoc si benè sese non habeat, nec istum commutare potest, colligitur hinc in intestinis, coctionemque non solum turbat, sed & ipse multos cruciatus excitat. Hinc murmura, hinc ventris inflationes, ructus inanes & similes flatuum effectus, iliacæ parentes prosurgunt.

Et quis non tenet, permultos 1. esse, probationis loco qui hunc ipsum affectum ileum adducunt, dari morbos, quorum causæ sunt flatus. 2. ipsos quoque practicos, eos etiam, qui causam hanc negare conantur, esse sollicitos de clysteribus injicien-

injiciendis carminativis, de fomentis calidis, extrinsecus ad flatus discutiendos adhibendis.

Galeni verò rationem quod attinet, concedimus eam libenter de flatibus tenuioribus, & quatenus intestinum tenue naturaliter sit constitutum. Sed utplurimum crassi quoque sunt & ad exhalationem planè inepti, nec semper eosdem intestinum liberè transmittit.

Autores nobiscum sentientes, adducere, supervacaneum esse censemus. Res ipsa docet. Loco tamen omnium stare potest *Magnif. Rolf. nunquam sine honoris præfatione citandus*, vel etiam videatur, cui libet, *Arn. Villanovanus breviar. l. 2, c. 20. p. 1226.*

MATERIA CORPULENTA, quæ HUMORES *tam alimentales, quam excrementitios*, hosque *vel naturales vel præternaturales* ita sic dictos, sub se comprehendit, nunc restat.

Omnium primo SANGVINEM exponere lubet. Hic quamdiu in naturali suâ constitutione permanet, debitam suam qualitatem retinet, quantitate non excedit, nec motu peccat, ab omni occursu sumus liberi. Si verò ab horum uno deflectat, Hannibal præ foribus esse creditur.

Similiter quoque cum cæteris humoribus comparatum est, hi si ex justâ naturæ lege amicabilem fovent unionem, in receptaculis, qui excrementitii sunt, suis si ritè contineantur, legitimo tempore excernantur, aut si usum aliquem ad chylum sangvinemque perfectius elaborandum & ad partes deferendum suppeditent, legitimè succurrant, tunc saltant omnia: Sin contrario modo & vel seorsim vel conjunctim ad partem aliquam vitiosè tendant, ægrotare eandem cernimus.

Igitur secundum ESSENDI MODUM DETERMINATI GENERIS si considerentur, & quidem CORPOREÆ MOLIS ratione.

SANGVIS planè novum modum addit, si peccet QUANTITATE, cum plus ad intestinum ileum adfluit, quam à natura ipsi fuit adsignatum. Intemperiem ejus destruit, parit inflammationes, hoc ipsum exsiccat & extendit, omnemque ejus functionem impedit.

QUA-

QUALITATE verò si corripiatur *primâ*, eâdemque 1. *manifestâ*, & atomis pituitosis, quæ frigidæ sunt, vel biliosis, quæ calidæ commisceatur, eædemque simul cum parte sangvinis subtiliore ad hoc intestinum rapiantur, temperies ibidem propria destrui, aliena induci, consequenter pro mistionis varietate vel ipse statim affectus ileus vel alii, tunc denique hunc producentes, excitari, necesse est. Si verò ipsi sangvini *occultæ* atomi, malignæ & secundum *Arculanum* pestilentes conjungantur, ipsius quoque modificari essentiam quis non videt? Annectimus his *secundas*, ejusdem, imo pluris in alterando & malum hoc inducendo efficaciæ, ut testantur *Forestus & alii.*

INDIFFERENTER ejusdem *quantitas, qualitas & motus* si consideretur, quantum non valet in modificando essentiam?

QUANTITAS & QUALITAS agunt ratione *activitatis & resistentiæ*: Ita ut sæpius tanto cum impetu tantisque agendi viribus hic irruat, ut naturam non solùm aggravet, sed medicis etiam auxiliis vix aut ne vix cedat, locumque relinquat.

MOTUS uterque quid faciat, quomodo essentiam alteret, dicetur capite sequenti.

Et hæc omnia, quæ jam fusius dicta sunt de sangvine, cæteris quoque humoribus in specie simili ferè modo applicari possunt, ita ut nec pituitam, quam quidem plures de vero ileo negare conantur, nec bilem, juxta omnium sententiam, nec serum, *ex mente nobiliss. D. Schenkii tract. de sero sangv.* & sic porro, excludamus, si modò benè ac sobriè explicentur.

CHIMICORUM quidem *sententiam* humores planè rejicientium, contrà fundamenta sua in principia ὑποςατικὰ ⊖ 🜍 & ☿ & νοητικὰ ▽ & 🜄 collocantium: Ut & ACOREM HELMONTIANUM adducere, nobis fuit animus, nimis tamen angustiores ad explicandum videmus pagellas.

Hoc tantum annotare voluimus, obscurius hic esse, an ad ♀rum resolutum, ut vult *Petraus diss. harm. 30. p. 126.* an ad ⊖ coagulatum causa sit referenda? Posterior tamen *secundum* ipsius *Paracelsi* opinionem videtur probabilior, ita consentiente quoque *illustri Rolf. epit. sæpe cit. p. 279. Mœbius* ad spiritus ⊖inos refert, qui videatur *l. Inst. 2. part. 2. c. 6.*

CAPUT

CAPUT V

modum motus, causæ scilicet morbificæ, generationis, & localis ostendit.

SUperiùs ILEUM oriri diximus *per se* unum, alterum *per consensum*. Nunc modus quoque explicandus. Qui fit ratione MOTUS tùm *generationis*, tùm *localis*; isteque vicissim vel *in loco* vel *extra locum* affectum,

IN LOCO quod fiat & generetur, claret 1. ex constitutione istius partis læsæ, & inducitur vel ab intemperie quacunque, vel conformatione læsa, vel etiam unitatis solutione 2. ab errore externo, ut insessu in locum aliquem frigidum; vel ingurgitatione potus frigidi, ab exercitatione nimiâ. Quorum omnium ratio & causa, cùm repeti debeant in capitibus sequentibus, meritò hoc loco sunt prætereundæ.

EXTRA LOCUM verò quod congeratur, accidit id mediante sangvine cæterisque humoribus, vel *totius vitio*; vel etiam *determinatæ alicujus partis* generatis, idque ex impeditâ ejusdem functione; & progrediendum ita

Ad MOTUM LOCALEM, alteram modi differentiam constituentem. Et exigit hic cognoscere, an materia ex ipsius intestini tenuioris *debilitate generata* quiescat, an verò *aliunde* ad hoc promoveatur. Quod ultimum cum non nisi per *ῥυσιν fluxionem* fiat, ideoque non *pars mandans* modo & *recipiens*, sed & *via* & *modus* consideranda veniunt.

I. MEMBRUM MANDANS est interdum totum corpus, interdum certa quædam corporis pars. Ita secundum *Hipp. l. d. gland. t. 78.* caput: Quod si fluxio, *inquit*, posteriore parte procedat, aut per palatum pituita ad ventrem perveniat, iis quidem ventres fluunt, non tamen ægrotant; sed si infra pituita permaneat, volvuli fiunt, affectiones diuturnæ.

II. RECIPIENS diximus esse intestinum tenue, partim ex propriâ suâ substantiâ, quæ cum rara, laxa & membra-

nosa est, debile; partim etiam ab ortu aut supra dictis modis debilitatum. Addimus quod & ipsum obscurè moveatur, qualis motus etiam causa imbecillitatis dicitur.

III. VIÆ sunt arteriæ numerosæ, aliique ductus, visum nostrum fugientes, qui tamen negari non possunt, licet accuratè demonstrare haut valeamus, quâ ratione venæ lacteæ in intestina tenuiora insinuentur, chylumque excipiant.

IV. MODUS FLUXIONIS claret ex conspiratione partis mandantis per pulsionem, & recipientis per tractionem, teste *Gal. 2. d. cur. rat. ad Glauconem c.1.* ibi sufficit partis robur, hic ambigitur vel de calore vel dolore, non tamen ratione sui, sed ex accidente, ut causæ occasionales exsistentes, de quibus videatur *Nobiliss. Rolf. ord. & meth. cit. l. 2. s. 2. c. 28. p. 87.*

Huc etiam facit humorum *innata vis & ad motum propensio*, præprimis si accedat eorundem *copia*, unde nonnunquam etiam per crises & motus periodicos immoderatiùs eos descendere & gravitate suâ inferiora petere videmus. Quin & ipsum motum, sæpe adjuvat præternaturalis ὀργασμὸς καὶ ζύμωσις à calore vitali excitata; ut & ipsa διαχώρησις secundum quantitatem, qualitatem & motum, morbosam & iliacam dispositionem inducens.

CAPUT VI

causas mediatas remotiores supranaturales & naturales exponit.

SUPRANATURALES hic annotare voluimus, idque ideò, cum semper ad fontem sit respiciendum, ex quo quodlibet promanet. Ita corpus nostrum, licet morbis sit obnoxium, fortuitò tamen haud isti quid accidit, sed quærenda alia causa est, eaque prima, quæ DEUS est, qui vel ipse εἰς δοκιμασίαν καὶ τιμωρίαν gladium stringit, vel malo genio hujusque satellitibus permittit, quò corpori nostro nocere valeant.

NATU-

NATURALES autem magnam vim ad ILEUM disponendi & recipiendi retinent. Ita

TEMPERAMENTUM sive totius sit, sive certæ alicujus partis *calidum & siccum*, cum *Hoffmanno 3. instit. 147. 8.* accusamus, quatenus nimirum *ex sententia Experientiss. D. D. Schenckii tract. supra cit.* humorem serosum, fecibus tanquam vehiculum inservientem absorbet.

HABITUS corporis densus, ventricosus & pingvis *teste Casp. Barthol. hist. cent. 6. h. st. 37.* ob flatuum vel potius fuliginum, motum intestinorum pervertentium, retentionem, non mediocre fert punctum.

ÆTAS secundum *Archigenem apud Aëtium tetrad. 3. serm 1. c. 28. & Aretæum l. 2. acut. c. 6.* puerilis. Secundum *Forestum* verò *obs. 17. l. 21. schol.* senilis, in primâ vel secundâ senectute, Ita refert virum loc. cit. 36. annos natum, alium 70. Vetulam *obs. 19.* mulierem 60. *l. c.* & aliam quandam cujusdam 70. iliacâ laborasse. Defendit utramque ratio & experientia.

CAPUT VII
sex res non naturales continet.

ILiacam frequentius à causis primitivis & externis oriri, & in hoc à colicâ distingui posse, vult *Arculanus* & cum eo *Forestus obs. 18. schol.*

Producunt autem hæ dictæ res NON NATURALES ILEUM non propriis suis viribus, sed præstant id solummodo, quatenus in corpus aliquod morbosam προδιάθεσιν habens, incidunt.

AER itaque primas tenet. Quanta enim hujus summa est necessitas, tanta quoque in alterando & corrumpendo est potentia. Infensus autem est intestinis, si quemcunque qualitatis primæ gradum etiam transgreditur. Nocet etiam si secundis qualitatibus, vel quocunque modo vitium concipiat. ita *Ibn Sina. f. 1. l. 36. tr. 4. c. 29.* pestilens aëris contagium huc adscribit. Nec aliter *Alex. Benedictus l. 19. c. 8.* ileum veluti pestem contagione alios corripere, provincias occupare, scribit.

MODUM autem fieri dicimus 1. *inspiratione* per attra-ctionem, 2. *circumfusione* ab arteriis si excipiatur 3. ejusdem cum cibis in ventriculum & intestina *ingressu*.

AUTUMNUM εἰλεὸν, vel ut vertit *Guil. Plantius* intestinorum quapiam parte coarctationes inducere, autor est *Hipp. aph. 22. s. 3. Aëtius* æstate quam vere, autumno quàm hyeme magis oriri dicit. Observavit tamen *Forestus obs. 17. l. c.* hunc affectum ortum quoque fuisse in principio veris mense Martio.

Astrologi ileum accelerare ☽am, intestinorum Dominam, 1. domûs in VI à ♄no afflictam, perhibent.

MOTUM nimium, præprimis si nimis subita fiat refrigeratio *Forestus obs. 16. Lindanus select. med. l. 1. exerc. 4.* aliique quamplures accusant. Non minus quoque disponit iste planè intermissus.

SOMNUS nimius ut nocet, ita & vigiliæ excessivæ.

Τὰ προσφερόμενα ingesta, sive esculenta sint sive potulenta, suum addunt ἐπιβάλλον μέρος, sive excedant primis qualitatibus, cum calidus est & siccus; sive etiam secundis, si sit adstringens; utplurimum verò si vitium quoddam accedat in

QUANTITATE, vel *discreta* ea sit vel *continua*. Ita in hernioso quôdam studioso ex subitaneâ ingurgitatione post ventris repletionem factâ, ileum lethalem annotavit *Greg. Horstius l. 4. obs. 15.* Similiter fœmina quædam honesta post usum brassicæ in cœnâ largiorem volvulosa reddita, spacio 24. horarum exspiravit, observ. *Magnif. Rolfinc. in cit. epit.* Vir quidam ingluviei deditus, cum diversis ferculis & malis cibis longo tempore usus esset, & post vehementiorem exercitationem aquam frigidam largius bibisset, incidit in ileum apud *For. obs. 21.* Et *obs. 19.* Matrona quædam cum diversis ferculis usa esset, cerasis, lacte & crema, vino rubro & albo, & fragis humi nascentibus, in volvulum ex cruditate seu corruptione incidit. Eandem calamitatem excitant castaneæ crudæ *teste Zacut. l. 2. prax. adm. obs. 34.* pyra cruda ut & avellanæ & mala cotonea copiosè ingesta, referente *eodem l. ult. prax. hist. obs. 1. & 2. & l. 2. de med. princ. hist. obs. 15.* Similem historiam habebis apud *Ballonium consil. 63.* Haud alienas ex potione frigidæ à sudore, ad

satie-

ſatietatem ac ſubitâ, videſis apud *Jon Zoar 2. Theiſir. tr. 1. c. 2.* in quem idem *Zacutus l. c. hiſt. 98. & apud Jachinum in 9. ad Almanſ. c. 56.* Et hæc cauſa quoque eſt, quod non pauci inde permoti ſint, ipſum hunc affectum per continuam ciborum corruptionem definire, quod feciſſe videmus *Aëtium l. 4. c. 28. Aretæum 2. de cauſ. acut. 6.* Et multi quoque hæc res momenti eſt. Talis modi enim homines nec ætatem, ac quæ ſecundum iſtam perferre poſſunt, conſiderant, ſæpius de die ſe ingurgitant, omnem ordinem invertunt, quæ primis menſis ſunt ſumenda, præpoſterè ingerunt, unde nil niſi chyli corruptio, quam deinde excipit volvulus.

Huc etiam pertinent medicamenta ſiniſtrè adhibita. Ita de alterantibus teſtatur *Fernelius l. 6. de part. morb. & ſympt. c. 9.* de puellâ ſeptenni diarrhœâ laborante, cui cum avia ſvaſû muliercularum cydoniatum largâ manû comedendum obtuliſſet, tanti ab eo dolores ſubcreverint, ut ſuperveniente etiam vomitu ſtercoreo intra biduum miſerabiliter extincta fuerit. De purgantibus ſimiliter malè adhibitis, ut ſunt colocynthis, ſcammonia, elleborus albus, eſula, tithymalorum & mezerei genera; pleni ſunt *Practicorum libri.*

Ita etiam venena vel epota vel aliunde corpori communicata hoc cruentum malum generare valent. Inde mulierem quandam ex aſſumpto arſenico in ileum incidiſſe refert *For. obſ. 28.* aconitum damnat *Nicander in alexipharmacis v. 22.* ſpumam argenti *v. 597.* fungos annotavere *For. & Aurelianus.* bupreſtin & lithargyrium *Jachinus.* Atramentum ſepiæ aptum natum eſſe volvulum facere, autor eſt *Aretæus l. cit.* de quo vide *Lindanum in ſchol. med. l. 1. exert. 5. ſepia volvox inſcriptâ.*

EVACUATIONES tandem ſuppreſſæ, quantum heîc non faceſſunt negotii? imò ſolùm hæ ad Ileum producendum ſufficere videntur. Cum hoc modo flatus non ſolum in tenuioribus cumulentur, ſed & omnis chyli perfecta concoctio, diſtributio & ab heterogeneis ſeparatio impediatur, ut hâc ratione non niſi ingeſtorum corruptio & putredo, & hinc ob tangibile ingratum motus fibrarum inverſus ſequatur, neceſſe eſt, teſte *Hipp. d. aff. t. 22.* Hic morbus fit, *inquiens*, quando ſtercoris

confertum fuerit combustum, & circa hoc obducitur pituita.

SUCCUS PANCREATICUS ex *mente Sylvii* accusari posse videtur, quatenus acidus nimis generatur, ut ita alvum adstrictiorem non solùm reddat;sed &,præprimis cum pituitæ viscidæ adjungitur, unà cum ipsâ in flatus mutatus, intestina & distendendo & perterebrando tormina talia in ventre excitat.

Nec minus turget hic BILIS, quatenus vel huic nec ritè conjungatur, nec ut fermentum, quæ *aliis* ita dicitur, coctioni concurrat, nec denique ut clyster naturalis & stimulus excrementis & alvi fecibus accedat.

Omnia insuper, quæ sub EXCRETORUM & RETENTORUM classe continentur, si modum quâcunque viâ excedant, malum hoc accelerare valent. Confirmat hoc ex hæmorrhoidibus supressis *Ballonius consil. 63.* ex lochiis retentis *Joh. Antonid.* von der Linden *l. c. exerc. 4.*

Agmen rerum non naturalium claudunt AFFECTUS ANIMI. Ut modum in omni re servare optimum est, ita benè sanitati consulimus, si eosdem temperare valeamus. Hoc si non fiat, pessimè in nos ipsos agimus. Et causa hujus facilima est. Exempli loco potest esse historia *Tulpii 2. obs. 41.* quæ IRÆ vires in ileum edocet.

CAPUT VIII

res præter naturam ventilat.

PRæter ante enumeratas causas, nunc aliæ quoque eædemque variæ obveniunt, motum intestinorum invertentes, violentique tangibilis rationem obtinentes. Et sunt

INFLAMMATIO, videtur quidem ac si hæc ileum magis sequatur quam præcederet, quod, si intestina tenuia loco suo moveantur & extendantur, istam tandem contrahant, Verum ut hoc *nos* libenter affirmamus, ita è contrario negare nemo potest, quin & ileus inflammationi succedat. Hinc *perplures etiam Cl. medicorum* nulli dubitârunt, omnium optimè ileum definiendum esse per inflammationem. Quibus cum tamen

nos haud facimus, quidquid etiam dicant. In omni enim ileo & semper inflammationem adesse, nondum sumus persvasi. Ergo nec per istam definienda.

OBSTRUCTIO à quâcunque causâ introducta, sive interna ea sit, sive externa. Ita si quis sedeat diù in marmore parum obtectis posterioribus analyticis, ut fatur *Lindanus l. c. exerc. 4.* Obturatur enim venter non solum refrigeratione *6. Epid. 26.* sed & flatibus impletur & excruciat intestina. Occludi & coarctari intestina à fecibus induratis, docet *Gal. 4. vict. acut. 17.* à pituitæ copiâ *Salius d. aff. part. 11.* contra *Gal. in comm. aph. 44. l. 6.*

Ilei à CANCRO exemplum annotavit *idem Salius l. c.*

SCIRRHI meminit *Gal. l. c. & 3. vict. acut. 33. Hildanus cent. 1. obs. 61.* Nec excludendi sunt alii tumores, qui vel in ipsis intestinis existunt, vel vicinis partibus adnascuntur; idem efficiunt abscessus.

Comitem sæpe tyrannicum habet EXULCERATIONEM ab humoribus acribus & mordacibus, & iis quæ supra sunt relata.

ILEI causas duas, unam ex intestini GANGRÆNA, hancque consequentem istius corrugationem & occlusionem fecibus deorsum transitum denegantem, sicque ad regressum hinc & vomitum easdem cogentem; alteram ex ejusdem tenuis arctato ingressu in partem proximam, flatibus priùs turgidam, mihi communicavit *Cl. D. Schrammius ex Sylvii dictatis pract. l. 1. c. 15.* quas hic ipse in demortuorum sectione observavit.

Sæpius ex SITU mutato intestini tenuioris sequitur ileus, cum ejusdem fit vel CONTORSIO seu CONVOLUTIO. Cujusmodi memorabilem audi historiam *ex Riverio cent. 3. obs. 26.* Gvile Patris, *ait*, aperto cadavere inventum est intestinum ileum tribus complicationibus convolutum & quasi compactum in unam massam circa finem illius: tota autem illa intestini portio complicata, gangræna affecta erat, cum portione mesenterii sibi adjuncta. Idem observavit *Ballonius 1. cons. 31.* intestina reliqua amplissima apparebant, ut brachii magnitudinem æquarent.

Ex HERNIIS incuneatis & incarceratis plurima restant

restant exempla. Talem ab EXOMPHALO observavit *For. obs. 17. l. c.* A BUBONOCELE domesticum exemplum habuit *Hoffmann. instit. s. c.* ab ENTEROCELE *idem Forest. l. c.*

Elegantem quoque historiam communem nobis reddidit *Nobiliss. D. Schenck. in collegio ad ideam med. pract. jonst. l. 10. tit. 3. c. 2. art. 1.* de muliere herniosâ per plures annos affectâ, quæ tamen interea sine noxâ peperit, in tertio verò partu tandem accessit alvi durities, hernia quoque ad pugni magnitudinem crevit, cumque per 14. dies ita affligeretur, accessit vomitus stercoreus, qui ferè octiduum durabat, tunc ficum ante triduum ano immissam ex ore rejecit, brevi tamen post accedente diarrhæâ sanitatem recuperavit. Similiter ex relatione habemus, quod fœmina confecto ad miliare pedestri itinere senserit herniam suam dextri lateris intumescere, domum redux quatridui spatio vomit feces malè olentes, liberata quatuor clysteribus evasit. Plures historias repetere possemus, nisi angustia pagellarum prohiberet. Cupidum interim lectorem mittimus ad *Ballon. l. c. & 2. cons. 24. Ferdinand. histor. 74. Frambesar. 5. can. 3. cons. 1. Rolf. epit. sæp. cit. Hildan. obs. 61. Horst. 4. obs. 15. Lindanum. l. c. aliosque.*

Supersunt quidem & ejusmodi causæ plures. Ita quando COLON eâ parte quâ vicinum est reni sinistro, in scirrhum obdurescit, ita ut cavitate ibi interceptâ nihil transire queat, ut testatur *Holler. in schol. c. 40. & l. 1. d. morb. intern. & Beniven. de abdit. 34.* quando itidem coli VALVULA fit amplior & strictior, aut aliæ partes circumjacentes fiunt SCIRRHOSÆ. Sæpiùs COLICAM sequitur, non raro succedit intestinorum tenuium ABSCESSIBUS, VULNERIBUS quoque, qualem ileum ex sagittâ intestino tenui inflictâ vides apud *Hipp. 5. epid. t. 35.* interdum STRANGURIAM excipit *autore eodem 6. aph. 44.* Verùm breviores nos esse jubet temporis ratio.

CAPUT IX
differentias proponit.

Hæ

HÆ omnes, ex superioribus quidem satis innotuêre, breviter tamen ob methodum easdem secundum rationem *causæ suæ formalis, materialis & efficientis* considerare lubet

GENERIS ratione & quidem IDEÆ, *legitimus* alius est & *exquisitus*; alius *illegitimus*, teste *Mercato oper. l. 3. c. 16. p. 316.* VEHEMENTIAE *magnus* hic, iste *parvus* & *debilis*. MOTUS *acutus* iste, qui citò terminatur, *chronicus* hic, qui diutiùs insistit. TEMPORIS *invasionis* respectu *recens* alius, alter *inveteratus*, qualis iste fuit *supra citatus*, qui quintâ vice infestavit, DURATIONIS in *principio* hic, iste in *augmento*.

II. SUBJECTI alius *sympathicus* est, alius *idiopathicus*, hic vicissim vel *protopathicus* ac *deuteropathicus*: iste verò vel *positivè* vel *privativè* talis.

III. CAUSARUM respectû differt eô modô, quô prius recensitæ fuerunt causæ. Estque alius *sanguineus*, *biliosus*, *simplex* vel *mixtus* ex iisdem aut aliis: imò tot sunt ejusdem differentiæ, quot causæ fuêre adductæ, sive sint positivæ, sive privativæ.

CAPUT X

signa diagnostica perpendit.

HIc ante omnia statum ante morbum naturalem cognoscere opus habet medicus, & juxta istum

I. IMMINENTIS morbi signa dijudicare debet.

Sunt autem talia maximè difficilia, aliisque affectibus valde communia, Cognosci tamen possunt & sunt ex mente *Aretæi* dolor torminosus, ventriculi humiditas, exsolutio, malacia, ructus inanis, venter flatibus submurmurans, profectio usque ad sedem, exitus vero imperfecti.

Hæc omnia si conjungantur, & perpendantur insimul ea, quæ autore *Gal. in art. med. c. 82.* 1. naturam consequuntur, *res* nimirum *naturales & nonnaturales*. 2. quæ actiones lædere possunt, *res* scilicet *præter naturam*; lucis aliquid afferunt.

PRÆSENTIS verò magis sunt agnoscibilia, itidemque eruuntur *secundum essentialiter inhærentia & ea quæ ex necessitate consequuntur*. Et sunt, cùm 1. nihil deorsum excernitur, quod proprium atque inseparabile esse dicit *Galenus 7. aph. 10.* etiam si quis, ut *ipse* addit *6. aph. 44.* acerrimo utatur clystere. 2. cum

 flatus

flatus, pituita, bilis, chylus, imo ipsa stercora sursum tendunt & evomuntur. 3. anus sit arctissimè clausus, ut nec fistulam, tenuissima licet ea sit, admittat, vel si fiat, infusum per os revomatur. 4. addit oculorum eminentiam *Villanovan: breviar. l. 2.* Ex his ventris tumor, dolor intolerabilis, sine causâ manifestâ anxietas, jactatio inquieta, vigiliæ, respiratio difficilis, lypothymia, syncope, tremor cordis, extremorum frigiditas & hujus generis alia.

Hisce igitur exactè consideratis, si de causâ certi, ex similitudine etiam istius confirmati, de affectu præsente dubitare non licet.

MAGNITUDINEM ejus si scire satagamus, necesse est, ut ad vehementiam causarum & symptomatum respiciamus: Si itaque vulnus in ileo, parvus esse non potest. Si omnia symptomata magis urgeant & robur naturæ planè invertere videantur, aut si adsit inflammatio, sitis verò nulla persentiatur, magnum & malignum istum proclamamus.

Quonam morborum tempore vigeat ileus, desideranti ostendere potest *aphor. 30. s. 2.* Circa initia & finem morborum remissiora sunt omnia, in vigore vehementiora.

Dictam ante methodum si observaveris, nec difficile tibi erit, ipsius PARTIS AFFECTÆ signa elicere. Si nimirum stomachi adsit distensio, nausea perpetua, vomendi desiderium, aut vomitus ipse assiduus, si dolor & tormina ad superiora vergant, si ea, quæ per os adsumta fuêre, magis juvent & prosint, signa sunt partis affectæ *absoluta* dicta. *Respectiva* si per consensum ileum esse metuis, consideres. Et certitudinem quandam concipies, 1. ex ejusdem consensu communicabili. 2. Symptomata dicta adeò gravia haud erunt, & per intervalla infestabunt. Et 3. ea quæ præscribuntur non juvabunt, sed aliunde dirigi volunt.

Et facillimæ dignotionis omnia hæc erunt, si SIMILITUDINEM vel propriâ experientiâ, vel aliorum familiarem tibi reddidisti.

Signa CAUSARUM demum expedienda. Si

L ab

I. ab INFLAMMATIONE, dolor acutissimus est, febris urget intensa, sitiunt, vomitus fit biliosus & magis corruptus, accedit convulsio, desipientia, frigent extrema, cæteraque symptomata sunt graviora.

Si II. ab EXULCERATIONE, feces magis fœtidæ, prægreditur plerumque lienteria aphthosa, acriumque humorum in corpore παρασκευή.

Si III. à CANCRO, ad tactum satis accedit durities, eaque inæqualis, punctiones & dolores sunt continui, præprimis verò exacerbantur à fecibus exitum quærentibus, malumque est diuturnum.

Si IV. à SCIRRHO molesta adest intestini gravitas, durities persentitur diuturna, à principio quidem tactu vix perceptibilis, & videntur intestina quasi detrahi, præcipuè stante ægroto. Alvus quoque in decernendis fecibus tardior evadit.

Si V. à FECIBUS INDURATIS, eadem ferè præcesserunt signa, dolor tamen mitior est, nec in principio præsens, tenditur abdomen & intestina turgidiora tactû apparent, febris exulat, vomitus varii generis infestat.

Si VI. à FLATIBUS, hi ipsi sese murmurando produnt.

Si VII. à VENENO, ipse ægrotus aut adstantes manifestent.

Si VIII. denique à VERMIBUS, accedit oculorum concavitas plus justo, in pueris narium pruritus, somnus inquietus, stridor dentium.

CAPUT XI
signa prognostica subministrat.

MEdici certè excellentioris est, quod futurum est PRÆDICERE.

Lubet autem generalia quædam ante, quam ad specialiora deveniamus, præmittere.

Præceptoris nostri effatum est *d. aff. 2.* ἔστι δὲ τὸ νόσημα ὀξὺ καὶ ἐπικίνδυνον. *Est autem præceps morbus & periculosus admodum* ileus. Et *Theod. Priscianus*, medicus verè priscus *l. 2. c. 17.* ileorum, *in-*

quit, passio acuta est, & sub angusto tempore periculosa. Adjungimus illud *Aretæi.* Moriuntur milleni torminibus validis ἢν ἐπὶ πᾶσιν ἔχῃ ὁ εἰλεὸς *si quem in totum habeat ileus.* Huic simili, prognosis est *Gal. 6. l. loc. aff. c. 2.* Ex hoc affectu vix unquam aliquis potuit sanus evadere. Et *Lindanus sæpe cit.* non dicam *inquiens* albæ gallinæ filius sit oportet, sed dilectus DEO, si se evasurum sperare ausit. Nulla salus, nisi DEUS è machinâ.

Sed quo ordinem & methodum observemus, considerabimus hæc ad prognosin *1. salutis & mortis, 2. longitudinis & brevitatis* & *3. modi eventus.*

I. SALUTIS & MORTIS quod attinet, petuntur ea I. *ab essentialiter inhærentibus;* ut quò plus impediatur in suâ functione ileon, eò majus immineat periculum. Conformatio ejusdem quò magis lædatur, eò majus malum. Si vulneretur istud, periculosum: autore enim *Actuario 4. m. m. 6.* tenuia omnem curandi rationem respuunt. Et lethale fuit Aristippo *apud Hipp. 5. epid. t 35. 96. II. ab ex necessitate consequentibus;* ut si omnis ferè cesset nutritio, lypothymia & syncope accedat, pulsus fiat langvidior, planèque intermittat, & externa refrigerentur, spes ferè omnis est dimittenda.

Si partes ad umbilicum pertinentes & infimum ventrem, attenuentur, autore *Coo 2. aph. 35.* nausea & fastidium cibi & potus ingravescat, non sitiant, cum tamen interna æstuent, juxta eundem in *coac. prænot. l. 1. t. 57.* periculi plena res. Si itidem ab inflammatione & febri, sitis urgeat, malignum esse significat *Forest. obs. 16. l. 21.*

Ab ileo desipientia seu convulsio malum, oraculum est *Hipp. aph. 10. l. 7.* funestum enim argumentum, malum cerebro jam communicari, *Holler. in comm.* addit.

Si inquieti sint & insomnes, signum est pravi moris.

Si obsurdescant iliosi in vomitu juxta *coac. 72. 470.* & muti fiant, in iis penè emortui caloris signum est *3. epid. 3. hist. 3.* A vomitu singultus malum ex *aph. 5. 7.*

Ex ipsis bonis urinis non fit multa salutis spes in hoc morbo, ex ipsis tamen malis multum significatur periculum, autor est *Forest. sæpius citat. l. obs. 16.*

In

In ileo ventoſitas per crepitum inferius exiens, ſi multum fœtet, malum eſt juxta *For. obſ. 17.* Et ſi alvus ita conſtringatur, ut ne ſpecilli quidem extremum admittat, exitioſum. Vomitu enim conſequenter excrementa rejici neceſſe eſt: Hinc haud immeritò etiam *Arculanus* ileoſorum mortem crudelem & obſcœnam appellat. Obſervatum quidem, multos tales ſalvos evaſiſſe, ut teſtantur *Aggregator Brixienſis pract. c. 90. Pedemontanus* & *alii.* Sed ℞. hic *Lindanus d. l.* Oportet inquilinum Italiæ morbum eſſe, quod iſti homines plures evaſisſe viderunt, quàm noſtri vidiſſe ſe teſtentur.

Vomere chylum, bilioſa, mali odoris, varia, nigra, peſſimum juxta *aphor. 24. ſ. 4.* Ex mente enim *Lindani l. c.* chylum ſangvinemque penitus corruptum eſſe indicat. Et ſtercora rejicere, exitiale ſignum dicit *Galenus.*

Vermes, quorum quatuor mulierem quandam ſexagenariam rejeciſſe refert *For. l. 7. obſ. de ſympt. febr. obſ. 4.*, eructare, ob majorem corruptionem, periculoſum.

Si fœtor ingratus non ſolum ex ore ſed & totius corporis habitu exhalet, exitioſum eſt juxta *Hipp. effatum 1. prorrh. 3. 66.* Si frigidus ſit ſudor, mortem infallibiliter prædicit *Sebizius.*

Super volvulum graveolentem, febrem acutam, hypochondrium ſublime inveteratius, parotides exſurgentes, occidunt, juxta *3. progn. t. 66. & Duret. l. 2. coac. 4. 5.*

Pallidi cùm fiunt cum extremorum frigiditate, malum *4. aph. 44.*

Ab inflammatione qui oritur ileus, deſperatus dicitur.

Quivis dolor iliacus ſenibus ſuperveniens, ex decreto *Archigenis* apud *Aetium* mortem inferre ſolet.

In annos climactericos, præprimis annum *63.* aut circa hunc ſi incidat ileus, periculo haud vacat, ita *annotante Magnif. Rolfincio*, Heros glorioſiſſimus WILHELMUS Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium &c. poſt feliciter ſuperatum annum LXIII. menſe tertio, fortuitò violento corporis motu in rhedâ, irritatâ umbilicali herniâ, iliaco morbo, quatuor dierum intervallo, confectus, animam tot dotibus heroicis conſpicuam, conditori ſuo reddebat. A. o. c. M. DC LXII. 7. Cal. jul.

In rebus itidem *non naturalibus* si major fiat regressus, majus periculum portendit. Ita ubi nec medicamenta, nec ipsa diæta juvare velint, ibi de salute ægrotorum factum esse testantur omnes practici.

Si denique *res præternaturales* minùs cedere velint, ut si ab herniâ intestinali, quæ reponi non possit; si à cancro aliisque tumoribus, qui omnes longiorem curationem postulant, Ileus autem sit morbus acutus qui talem haud admittit, de vitâ dubitare facit. Nec minus si à veneno; periculo enim periculum adjungitur.

Vir Clariss. Scholæ patriæ ConR. GEORGIUS SCHMIDIUS post incendium ejus civitatis A. M. DC.LXV. ex incuria exortum, incidit in ileum, cujus alvus ita obdurata erat, ut neque clysteribus neque medicamentis per os assumptis solvi posset; accedente vomitu etiam stercoroso cum singultû, placidè mortem objit.

Et annectendum heîc; quod, licet videatur, ac si penè eradicatus esset ileus, omniaque symptomata mitiora sese ostendant, non statim fides ipsi sit habenda, ita etsi dolor remittat, non tamen dimittendus statim æger, aut ipsi salus certa promittenda, cum & periculo non careat, siquidem sæpissime sphacelo afficitur pars laborans, quò minus istum sentire valeant. Insuper & haud raro evadit recidivus, fortior priori. Et sciendum quoque, quod hæc recensita prognosis, licet mortis esse videatur, sæpiùs salutis esse possit, uti testimonia ubivis sunt obvia.

II. LONGITUDINIS & BREVITATIS PROGNOSIN accuratè determinare *nos* haud valemus. Licet enim acutissimus hic sit, eundem tamen terminum vix observat. Obdormivit gloriosè Celsiss. Princeps ac Dominus Dn. WILHELMUS Dux Saxon. &c. 4to die. Vidit *Arculanus* 5to hominem occidisse, quod & *Forest.* notavit in quodam molitore *obs.* 17. Maximâ tamen ex parte, si ad mortem terminatur, vitam dant septimo. Insuper tenendum, quò citiùs tales operam Medici implorant, eò citius & minori cum periculo, evadunt. Imminens enim & recens morbus facilè averti potest

test: Si verò nimis diu exspectant, sine remediis, & stercora deinde per superiora rejiciantur, rarò vel cum magnâ difficultate evadunt.

III. MODI EVENTUS. An perfecta & certa crisis heîc sit speranda aut expectanda, dubitamus. Lethalem terminationis modum, si febris & alvi solutio superveniat, dicit *Cous. l. 3. d. morb* Nobilem 50. annorum, cui ex stipticitate alvi tandem fluxus ejusdem supervenit, obiisse observavit *Nobiliss: Rolfinc. l. 3 meth. cur. cit. c. 14.* Mulierem aliam eodem evasisse vidit *Experientiss: Schenck. in colleg. supra cit.* Parotides penè aures erumpunt, sed utplurimum sunt lethales. Sudor sæpè promanat, sed is frigidus & exitiosus. Vomunt multum, sed hoc symptomaticè. Iliacam ventosam & pituitosam adjutam fuisse febre superveniente, *alii*, tradunt. Ileum à stranguriâ, si febre superveniente copiosa urina fluxerit, solvit *juxta aph. 44. l. 6.*, quem tamen pro germano minùs agnoscit *Gal. in com.* qui vicissim censuram suam audit *apud Lindanum in select. med. exerc. 6. l. 1.* Rarissimè per *μετάστασιν* in melius mutari testatur *Benivenius d. abd. c. 107.* de suô fratre, qui materiâ omni ab intestinis ad nervos prolapsâ morbo comitiali correptus est, à quo, ægrè tamen, post aliquot tandem menses, naturæ maximè beneficio, liberatus est.

Non rarò per *ἐπιγένεσιν* ob sympathiam in colicam vertitur & degenerat.

CAPUT XII
curationem exorditur & insimul chirurgicas proponit materias.

IN ILEO præsidia, quæ multis fuere aliàs in usû, diffamari perplures perhibent. *Nos* ob eandem causam ægrum derelinquere non putamus. Debetur & huic sua curatio secundum suas INDICATIONES exstructa. Et est I. CURATORIA symptoma ipsum quæ respicit, 2. PRÆSERVATORIA quæ causas.

Ipse nimirum motus inversus cum fovetur à fecibus induratis, istæ sunt emolliendæ & educendæ; si adsit intemperies, per

per contraria corrigenda; Si inflammatio quædam persentiatur, sangvis, ut causa continens, est revellendus, repellendus; si humores urgeant exulcerantes, contemperandi; si pituita, incidenda; si flatus, discutiendi; si quædam conspiret malignitas, alexipharmaca sunt commiscenda; Si ab hernia proveniat, reponenda intestina; cæteris quoque, quæ indicant causæ, quantum possibile, satisfaciendum.

SYMPTOMATA si quæ magis urgeant, negligenda non sunt. Ita dolor primas sæpius tenere videtur, curationemque extraordinariam postulat. Nihil enim æque spiritus inflammat, agitat, fatigat & dissipat. Et ita advertenda est RECTA ADMINISTRATIO, ut si mora patiatur, quò ipsam causam aggredi valeamus, maximè de hâc simus solliciti: Sin minùs, deveniendum ad id, à quo vitæ periculum imminet. Si possit fieri, utrisque simul succurrendum.

Præprimis non posthabendæ sunt vires, quarum robur conservandum esse svadet VITALIS indicatio.

MATERIAS autem præsidiorum nobis suppeditant fontes usitatissimi. Et

I. CHIRURGICUS *VenæSectionem* suadens. Expetitur quidem hæc non ex propriâ Ilei indicatione, sed sæpissimè ratione suæ causæ, quæ est inflammatio. Omni verò inflammationi *teste Gal. m.m. 12.* V.S. competit. Et hâc præsente tanquam ad sacram anchoram omnes confugiunt *Practici, quidam eorum* etiam ut *Rondeletius* & *Aretæus d curat. acut. c. 5.* ad deliquium usque animi effundunt, quam quidem inanitionem *ἀθρόως* factam probare non possumus, multò magis cum *Tralliano. l. 10. c. ult.* suademus, quod *κατ' ἐπίκρασιν* fieri debeat. Quantùm verò sit mittendum, ita accuratè determinare haud licet, sed ad cujuslibet subjecti constitutionem & vires tùm præsentes, tùm futuras est respiciendum. *Forestus obs. 18. l. c.* ℥vij circiter emisit, & ægrotus benè sese habuit.

TEMPUS optimum esse censemus principium, ubi prius tamen clyster præmissus fuerit. Ita enim sangvis refrigeratur; calor febrilis, quem adjunctum habet inflammatio, mitigatur, & novas vires quasi acquirit ægrotans.

Locum

Locus commodiſſimus ſunt venæ cubiti brachii dextri internæ, & hoc ex obſervatione *aliorum*: *Trallianus* itidem *l.c.* eò usque adauctâ inflammatione, ut urina etiam ſupprimatur, *tali* venam ſecat.

Hiſce cognitis & quæ ſecundum rerum claſſes perhibent, quæ prohibent conſideratis, ſollicitus eſſe debet medicus de modo adminiſtrationis. *Ante* V. S. itaque juſculo quôdam confortandus æger eſt, cui gr. vj. vel viij. corall. ppt. indantur. In ipſâ V.S. adminiſtratione ligatio & alia quæ hûc ſpectant, attendenda & poſt eam ritè vulnus claudendum. Imperat quoque inediam *Rondeletius* ad 24. horas, quoad certum ſit detracto ſangvine inflammationis magnitudinem fuiſſe remiſſam. Quod ſi neceſſitas urgeat, cibus dandus eſt, isque medicamentoſus, ut juſculum galli veteris, cujus venter infarctus ficubus ſit, paſſulis & ſeminibus frigidis ac butyro. Paſſulæ ſiquidem & caricæ dolores inflammationum mulcent, butyrum lenit & alvum relaxat.

Timidi qui ſunt, vel quorum vires V. S. perferre nolunt, iis CUCURBITULÆ profundâ cum ſcarificatione affigi poſſunt. In ingvina vel circa iſtam regionem *permulti* eas apponere jubent, ut etiam facit *Rondeletius*. Sed minimè in hoc caſû, cum ſangvinem ad partem magis attrahant, licet quodammodo evacuent; Conſultiùs itaque eſt remotioribus locis & pluribus has admovere, *autore Celſo l.4.c.13.* magis enim revellunt & avertunt.

Vicariæ V.S. quoque eſſe poſſunt HIRUDINES, venis hæmorrhoidalibus internis applicatæ, fortiter revellunt, magnâ etiam ex parte humores ab affecto loco educunt & evacuant. Præprimis ſingulariter proſunt, ſi malum ab occluſis hæmorrhoidibus conſvetis originem traxerit. Et hæ ſunt chirurgicæ materiæ, quæ *ſenſibiliter* ſangvinem vel purum vel aliis ſuccis vitioſis miſtum evacuant.

Inſenſibiliter quæ heîc ſua præſtant, ſunt CUCURBITULÆ ſine ſcarificatione, in inflammatione pluribus itidem & remotioribus locis annexæ, ut ſcapulis, brachiis, dorſo, lumbis, cruribus. Si flatus audiantur, ipſis ingvinibus & circa ea-

 dem,

dem, & quò majores sunt, eò efficaciores. Dolor enim vehemens magnam flammam desiderat.

Intentioni quoque huic inserviunt FRICTIONES & LIGATURÆ. Istæ enim cutem rariorem reddunt & spiratiorem. Hæ sangvinis impetum remorantur, quò minus citò ad cor refluere valeat, & sic per accidens refrigerant.

Intestinum ileum quando in scrotum aut inguina prolabitur, & iliacam ita dictam captivam seu incarceratam efficit, SECTIO ac REPOSITIO intestini prominentis necessaria.

Hæc REPOSITIO, non fit sine SECTIONE, quæ tamen periculi plenissima. MODUS ADMINISTRANDI duplex 1. cum apertione intestini. 2. salvis intestinis. *Hic* modus administratur, si in loco protuberante incisâ per longitudinem cute, intestinum prominens, si circumvolutum revolvatur, & per foramina tendinum musculorum intrudatur ac reponatur, illæso tamen intestino.

Alter, licet quibusdam expetitû facilis videatur, periculi tamen plenissimus, qui fermè inevitabilem letalem eventum post se trahit. Incisio siquidem intestini tenuis, quæ hic ad educenda crassa excrementa instituitur, letalis est, elogio *Hippocratici aphor. 18. sect. 6.* ideò rectè periculosam hanc sectionem nunquam adhibendam suadent *Albucas. part. 2. chirurgiæ c. 63. & Fallop. t. 5. tract. 1. c. 21.*

CAPUT XIII
fontem pharmaceuticum aperit.

HIs itaque peractis, sine omni morâ ad PHARMACIAM properandum. Nulla heîc ætas, nullum tempus, nec siderum quidam influxus attendenda. Nec ulla humorum coctio est expectanda, cum nec speranda. Eò unicè allaborandum, quò vomitus, si adsit, sedetur, alvus quò aperiatur, dolor quò mitigetur. Et hoc præstant LENIENTIA, in omni ileo à quâcunque causâ tutò exhibenda.

Sunt ejusmodi *cassia rec. extracta, prun. damasc. d. Sir. ros. sol. viol. sol. Elect. lenitiv. hier. picr. serum capr. juscula pingvia capon. pullor.*

pullor. phasianor. gallinæ vel galli decrepiti &c. decoqui *in his* possunt *malva & althæa*, vel commisceatur *ol. amygdal dulc. aut manna sel.* Refert *For. obs. 21. schol.* de nobili quôdam in Italiâ, qui cum volvulum patiebatur, nec ullis remediis atque clysteribus acutis curari poterat, imò ipsis clysteribus per os rejectis: tandem veniens quidam Hispanus, propinavit eidem *jusculum pingve*, quod primâ vice tùm secundâ evomuit, tertiâ vice cum cepisset, retinuit. *Idem l. c.* de muliere quâdam Spoletanâ, cum deplorata haberetur, & stercus per os evomeret, neque ullis remediis sanari posset, tandem sumpsit omni die *jusculum malvæ* & sanitati restituta. Et licet sint qui nutritionis gratiâ hæc adjici putant, ratio tamen contra eos pugnat, siquidem nihil æquè stercora dura emollit, quàm ejusmodi pingvia.

In quânam formâ sint præscribenda, non conveniunt *practici. Gradus in comm. ad Almans.* eos taxat medicos, qui liquida præbent. Damnant *alii* ficciora. *Nos* à paucis hoc observatum fuisse tenemus, nec multum interest. Si modo causæ ea non contrarientur, nec tædiosa sint, unum idemque esse dicimus.

℞. *cass. extr. super vapore decoct. alth.*
pulp. tamarind. an. ℥ij.
spec. diamarg. frig. ℈j.
corallior. ℈ß.
ol. cinam. anis. an gutt. ij. M. f. l. a. Bolus
D. c. *sacchâro ros.* S. Lindzucker auff j. mahl.

℞. *seri lact. capr.* 🜄 *lat.* ℔ß.
dissolv. mann. sel. ℥iß. f. l. a. Potio.
D. in fictili S. Vermischter Lind-Tranck.

℞. *Sir viol. solut.* ℥ij.
🜄 *flor. chamom.* ℥iiiß.
dissolv. electuar. lenit. ℥ß. f. l. a Potio S. ut supra.

Aloëticis ex monitu *Excell. D. D. Schenckii in colleg. jonst. supra cit.* haud delectamur, habent enim vim exsiccandi & constipandi, hinc hypochondriacos aloëticis sæpius utentes in iliacam incidisse, observavit *idem Promotor mihi magnus.*

VOMITORIA quidem lenientia tutò adhiberi pos-

sunt,

ſunt, verum non niſi urgente neceſſitate, dum nimirum vel humorum adſit corruptio, vel veneni metuatur pernicies. Et ita conſulit cum pleriſque *Trincavellius d. m. m. l. 20. p. 776.* Superius alias labefactant ventriculi orificium, copioſam humorum illuviem ad partem affectam promovent & ita affectum augent. Qualem hiſtoriam annotatam vidimus *apud For. l. 7. obſ. ſchol. obſ. 4* de comite Philippo ab Altâ Flammâ. In ileo ab inflammatione vomitum provocare vult *Rondeletius* à venæſectione. Sed videat, ne natura inde artem ſequatur & quæ inferiùs excerni deberent, ſuperiùs rejiciantur; ſummo cum damno. Si ex ſupra recenſitis cauſis proveniat, tuta admodum ſunt, & cuilibet ſubjecto proficua.

℞. *cereviſ. butyrat.* ℔ß.
ol. comm. ℥ij. M. D. ad vitrum
S. Linder Brechtranck. Bibatur tepidè.

℞ *aq. tepid.* ℥vj. *ſir. acetoſæ* ℥j.
ol. amygd. d. ℥ij. M. D. ad fictile.
S. Brechtranck.

℞. *aq. hord.* ℥iij. *ol. viol.* ℥iß.
M. D. S. ut ſupra.

Benedictus Veronenſis in fœdâ excrementorum vomitione ▽ gelidam in potu uberiùs datam commendat, quia ſitim ſedat & fœtorem corrigit: *Idemque* dicit, ileoſum quendam medicum à Medicis cæteris deſtitutum, ita ſaluti fuiſſe reſtitutum.

Licet ea, quæ per os aſſumuntur ſecundum *Paulum*, *Galen. 6. d. loc. aff. aliosque* magis juvent, quàm ea, quæ per anum immittuntur, & ita multum à colica ileus differat, ratio quoque hæc eſt, quia vicina magis ſunt ventriculo, exhæreditare tamen non poſſumus CLYSTERES, eosque in principio lenientes. Et quamvis ad inteſtina gracilia adſcendere ob viam interceptam haud valeant; hoc tamen utilitatis habent, ut alvum emolliant, quò melius & magis ebibita deſcendere poſſint. Hinc *perplures* etiam utraque ſimul adminiſtrant.

Hollerius comm. 6. aph. 44. ubi inteſtina inferiora ab humoribus obſtructa ſunt, fiſtulam veſicæ alligatam priùs immittere conſulit,

consulit, quæ ista ampliat, deinde clysterem, flatus generantem.

Paracelsus quidem *de* ☿*ro l. 2. tr. 1. c. 6.* clysterem, medicamen vilissimum, absurdissimum & turpissimum vocat, usumque ejus in cura iliacæ planè rejicit, sed hæc non attendimus. Magnus est eorum usus, si in principio statim adhibeantur.

℞. *rad. alth. malv. an.* ℥j.
fol. parietar. mercurial. bet. an. Mß.
fl. chamamel. melil. an. p. iij.
caricar. pingv no. vij.
Coque in jure pulli ad ℥viij.
Colat. add *elect. lenitiv. cass. pro clyster.* an ℥ß.
butyr. rec. ol. amygd. d. an. ℥j.
vitell. ovor. no. ij. *sal. comm.* ʒj.
f. l. a. Clyster, applicetur fistulâ ampliori

S. Still-ausführendt Clystir.

Si unà accedat aut prævaleat inflammatio, repulsionis gratiâ refrigerantia magis admisceantur.

℞. *herb. violar. malv. alth.* an. miß.
hord. mundat. Mj.
sem. 4. frig. maj. an. ℥j.
prun. damasc. no. V.
Coqu. in s. q. jur. vervec. pingv. ad ℔j.
Col. add. *cass. rec. tract. sacchar. rubr.* an. ℥j.
mell. rosat. ℥ij, *vitell. ov.* no. j.
sal. gemm. ʒj. F. l. a. clyster.

S. Erweich- und kühlendt Clystir.

Et horum usus tamdiu est continuandus, usque dum alvum apertam esse videas. Qui verò vel ex metû, vel ex verecundiâ, quod utplurimùm fit, eos formidant, iis SUPPOSITORIA substitui possunt. Ita sæpius injiciuntur *ficus inversæ ol. oliv. illitæ*, vel *vitell. ov. ad duritiem coctum* vel etiam

℞. *mell. ad durit. cocti.* q. s.

commisceatur c. pauco ⊖l. comm. & gemm. f. suppos. Si fortius desideres, in cuspide ponatur *pulv. spec. hier. picr. trochisc. alhandal.* vel. g̃. *aliquot dacryd.* Si necessitas postulet, multoties applicari possunt.

Si ſpes in anguſto eſſe videatur, nec quæ ſupra præſcripta fuêre, acceptum fructum ferant, de extremo per folles fabriles ano adaptandos, & ex eo flatus in ventrem immittendos remedio incunctanter eſt ineundum conſilium. Autoritatis ratione quod proponit *Hipp. 3. d. morb.* optimum iſtud eſt. Evolvit non ſolum & expedit inteſtinorum convolutiones, ſed etiam diſtendendo inteſtina, ileo ex gravi & contumaci fecum induratione & obſtructione ſuborto, citiſſimam opem promittit. Ipſe *Hipp. in l. d. affect.* ulterius ileum extremo hoc quaſi remedio ſanari docet. Teſtem quoque perſtrenuum habemus *Zacutum cur. ult. cent. 1.* qui deſperatum iliacum hoc remedio ex mortis faucibus revocavit. Et ſimilem laudis coronam hoc ipſo reportavit *Epiphan. Ferdinand. in hiſt. ſuis med. hiſt. 74.* Improbat tamen hoc & nocivum auxilii genus dicit *Aurelianus*, ex eo, quia ventus à folle immiſſus frigiditate ſuâ inteſtinis moleſtus. Sed corrigit hunc *Riverius l.c.* & incommodum hoc evitari poſſe docet, ſi juxta ignem follis aëre impleatur.

Hiſce præmiſſis, extemplò immittere volunt ejusmodi clyſteres ſupra præſcriptos, ut ita inteſtinis ampliatis feliciter alvinæ feces ſubduci queant. Fortiſſima enim licet præberentur, ſive κάτω ſive ἄνω evacuarent, nunquam tamen exoptatus eventus eſſet ſperandus, plures exclamant. Quâ de causâ etiam hiſce contenti vivimus, & vehementiora vix ſuademus, niſi alvus jam ſit aperta, & facultas inteſtinorum ad ſuum redierit officium. Et ita edocemur ab ipsâ naturâ. Fovent ſæpius iliaci tales humores, qui acriores ſatis ſunt, ut ipſis etiam purgantium viribus reſpondere poſſent, nec tamen fluxum aliquem movent. Et hæc ratio eſt, quod occulti quid ſecum vehant, ob peculiarem corruptionem, quam planè contrariam dicimus huic, quæ animadvertitur in fluxu dyſenterico. Et ejusmodi novum ilei genus annotatum habebis *apud Sennertum l. 3. pract. part. 2. ſ. 2. c. 1. p. 252.*

Si qui tamen ſint, qui fortiora expectant, iis commendamus *pilulas iliacas Rhaſis c. 11. p. 286. ad Almanſorem* deſcriptas. Et has multæ quoque utilitatis & efficaciæ eſſe dicit *Dodonæus in ſuis obſerv. c. 36.*

In Via-

In ☿*ialia, ut* ☿*ium dulc.* ritè præparatum multi haud minimam ſpem ponunt, & quantum nobis videtur, non planè fruſtrantur. Vehementiſſimum etenim licet ſit purgans, non percipimus tamen, quod vel ex ſecundâ vel tertiâ regione adducat & alliciat humores, ſed in parvâ doſi cum ſucco veronicæ exhibitus ſaltem evacuat, omnemque ſuaviter obſtructionem tollit.

Quod verò *quidam* ad ipſum *crudum* adſcendant, eumque *in ſolâ aqua ad* ℔iij. adſumendum eſſe velint, cum iis facere *nos* haud poſſumus. Ratio quidem horum ſpecioſa videtur cum dicunt, quod pondere & mobilitate ſuâ inteſtina convoluta evolvat, ob frigiditatem ſuam ardorem expugnet, fecesque tandem induratas & obſtruentes detrudat, & ſic exitum pariat; ſicut refert *Paræus l. 20. c. 38.* multos ab ileo deſperatos imminente morte eo liberatos fuiſſe.

Divortium ab his facit *Riverius in prax med. l. 10. c. 2.* frigidus, *inquiens*, cum ſit, pertimeſcendum, annon eâdem ſuâ qualitate calorem nativum extingvat, & ſangvinem in venis coagulet. Satius eſſe, *pergit*, in caſu deſperato minorem exhibere quantitatem. Et meminit *hic* quorundam, qui *ad* ℥ij. *in ovo ſorbili* eum exhibuêre, & ſi primâ vice non ſucceſſerit, reiterandum præbium eſſe voluêre. Felicem ſatis ſucceſſum ſe feciſſe *ex* ℥j. *præbio idem* dicit *Riverius in ſuis obſerv. Illuſtris Rolfincius l. c.* ex nonnullorum judicio in contumaci fecum obſtructione ipſius *currentis* ☿*ij. ad* ℥j. *pondus cum juſculo pingvi* exhibitum prodeſſe, ſcribit: ipſe verò ſe hujus periculum facere neque coactum neque auſum unquam fuiſſe, fatetur. *Barth. Thurrianus in ſuâ βελιατρεία* utitur eo præcipitato, aut qui tutior, cum auro præparato, aut ſi hic in promptu non eſſet, ileus verò ut morbus exquiſitè extremus nullas largiatur moras, corrigit illum prius aquis cordialibus benè ablutum cum galliæ muſcatæ vel diamuſci dulcis ſpeciebus *ad* ℈ß. utriusque exhibens. Et hujus in cinerem concremati; quô alii uſi fuêre, meminit quoque *Querc: l. d. med. ſpagyr. præp.*

Mitiores quodammodo habentur *pilulæ ex plumbo & euphorbio Tralliani. Recentiores* verò majorem dant fidem *regulo*

♁ii,

℥ij, exhibet ipſum *Trallianus l. c. ad* ʒj. In uſu quoque eſt *infuſum florum ſtibii* vino generoſo paratum, quod ibidem videri poteſt.

Vires giganteas in ſe latitare ſinit *Aurum fulminans*, non planè edulcatum. Excalefactum enim exitum quærit, nec quieſcere poteſt, deorſum verò ſemper vergit. Ita *Magnificus Rolfincius in collegio chimico privato* in gratiam ſpectatorum idem noviter paratum in cochleari argenteo recondit, & calori candelæ ſubmittit, quem cum ſentiebat, protinus excitatum, iſtud ferit & perforat. Illuſtris RegiæSuecicæ militiæ Generalis Pannerius, graviſſimo dolore colico infeſtatus, clyſteribus aliquot officium non facientibus, habuit melius, commotâ alvo, adſumptis ejusdem g͞r vj. in cochl. pleno vini malvatici. Poſſet in ileo *doſis ad* g͞r j. *aut alterum* augeri, utpotè qui fortius reſiſtit.

Mercatus ſæpè citatus in ileo à flatibus ſupra modum commendat *limaturam chalybis*, cujus gravitati iſti nequaquam reſiſtere poſſent. Quid verò de hoc auxilio ſit ſentiendum, videatur *ἐπίκρισις Rolfinciana epit. cogn. & cur. aff. part.*

CAPUT XIV
alterantia commendat.

CUrationem ad omnes cauſas in ſpecie dirigere, noſtri non eſt propoſiti, nec tempus permittit, ſatius eſt noſſe ex propriis ſuccurrere indicationibus, quamvis etiam ſint, quæ nullam omninò curationem permittunr, non quidem, quod per ſe incurabiles eſſent, ſed reſpectu ipſius affectus, utpote qui nullas fert inducias.

Si verò proveniat ab inflammatione, curam maximè exigit, & in toto morbi periodo propinandæ ſunt quæ repellendo refrigerant: juſcula itaque corrigi poſſunt vel etiam potus confici. Et hoc quidem modo in principio.

℞. *jur. pull. pingv.* ℔j *fl. borag. violar.* an. P. ij.
ſem. lactuc. endiv. cucum. an. ℈j.

coqu. juſto modo. Detur colatura S. Sonderl. zugerichtete Brühe.

In augmento verò addi poſſunt reſolventia;

℞ *Seri*

℞. *seri capr.* ▽ *lat.* ℔ß. ▽ *origan. agerat.* an. ℥iß.
succ. granat. ℥ij. *C. C. ust.* ʒj. F. Potio.
S. Kühlender Tranck.

In statû tandem commiscenda, quæ suppurant, & sunt *decoct. malv. alth. chamæm. melilot.* itid. *omentum pingv. ol. cham. melit. butyr. recens. pingv. gall. anser. vitell. ovi.* Denique ulcus consolidandum.

Multi in ileo ab inflamatione ▽*æ frigidæ* potum eligunt, *nos* potius methodum ordinariam observamus. Securius est *decoct. hordei cum C.C. vel aliud* ex aliis ingredientibus comparatum.

EXTERNE quæ hîc prosunt, sunt BALNEA ex emollientibus & refrigerantibus parata. Quæ quidem omnibus adeò non arrident. Tepida enim cum esse debeant, facilè refrigerari possunt, sicque calorem cum sangvine & spiritu retropellunt, & inflammationem augent. *Alii* ex alto tepidam ventri affundunt aquam, quam operam & nos probare haud possumus, eandem ob rationem. Et licet ejusmodi embrocationes secundum *Gal.* in capitis doloribus conveniant, minimè tamen in cæteris partibus laudantur. Convenientius est, illinire ventrem iis, quæ modicè refrigerant & laxant. Faciunt in hunc censum olea ex refrigerantibus & vim narcoticam habentibus, quorum materiam uberrimè depromunt *practicorum libri.* Si à fecibus induratis aut flatibus deambulantibus, ejusmodi auxilia nocere non possunt. Et intra & extra humectare jubet *Galenus l. de parat. facil. ad Solonem 2. c. 32.*

CATAPLASMA crudæ hordeaceæ farinæ commendat *Aretæus d. cur. acut. c. 5.* Alii cum horum applicandorum ratio omnem transpirationem intercipere, & sic inflammationem magis augere ipsis videatur, LINIMENTIS potius continuare svadent, eaque largiori manu moderatè calefacta inungere.

℞. *ol. amygd. d.* ℥ij. *aneth. chamæm. fœnic. lil. alb.* an. ℥iß.
pingved. human. vel in defectu hujus *taxi* ℥jß.
mucil. sem. lin. psyll. an. ℥ij. *terebinth.* ℥ß.
cer. virgin. q. s. ad just. consist. f. l. a. Linimentum.
S. Alterirendt Sälblein das Rückgrad und den gantzen untersten Leib darmit zu schmieren.

Sacculus inde ex ejusmodi herbis, foliis & floribus adimpletus ventri imponi potest.

His non juvantibus, doloribus contrà magis ferocientibus ad STUPEFACIENTIA, moderata tamen erit confugiendum, ut sunt *pil. ex cynoglossâ, requies Nic. philon. roman. diacod.* aut quod omnium securissimum *laudanum opiat.* & *magist. anodynum.*

Plurimi multum confidunt *theriaca* & *mithrid.* in fine adhibendis. Quantum nobis videtur, non parum inde commodi exsurget.

Et dicto modo in cæteris quoque causis secundum suas indicationes erit procedendum, mittimus itaque temporis redimendi gratia benevolum lectorem *ad Practicos*, qui in singulis capitibus uberius earum curationem pertractant.

Sunt & ALTERANTIA tàm *interna* quàm *externa* maximè necessaria, ad abigenda SYMPTOMATA, non leviter iliacos infestantia. Ita sæpissimè invadit eos *febris*, ad quam compescendam

℞. *decoct. hord. mundat.* ℔ß, *sir. acetos. citr.* ℥ij.
tinct. violar. ʒß. M. f. potio.
S. Hitzdampffendes Tränckl. auff etl. mahl.

Ad *sitim* & *lingvæ scabritiem* corrigendam Forestus

℞. *sem. cydon.* ℈ij. *sacchar. cand.* ℈iij. f. tres globuli, panno lineo raro constricti & in *decocto hordei mundati* infusi. D. quantum opus.

Vomitus si nimis urgeat, nihil melius ad eum compescendum, *autoritate Horstii obs. 15. 4.* præsto est *Elixir. propr. Paracelsi*, hujus enim gutt. v. *l. vi. in brodio* exhibitis ad miraculum per 24. horas enormes vomitiones coercuit.

Parili itidem ratione cœteris subveniendum est symptomatibus. Annectimus breviter, quæ specificè & ex proprietate quâdam ileum tollere valent.

Ita extollunt *quidam discerpti vespertilionis sangvinem ventri illitum. vide Joël. it. Plin. l 3. c. 2. Alii fimum gallinaceum album aridum*, quô ileosum conclamatum à summâ desperatione liberavit *Alex. Benedictus l. 19. c. 38. Senectus serpentum* oleo rosaceo in vase stanneo incocta, si ventri illinatur, multi juvaminis

esse

esse creditur, ut *apud Plin. Secundum l. 2. d. re med. c. 33.* legere est. Videri quoque potest *Marcellus Empiricus c. 26. De lapide quodam nigro* ex Indiâ occidentali allato, ejusque in ileum viribus consule *Anselm. Boët. de Boot gemmar. & lap. histor. l. 2. c. 9.* sub finem.

An superveniens febris ileum solvere possit, non immeritò quærimus. Nam videmus, quod sæpius sympathia ejusmodi seu propagatio, quam ἐπιγένεσιν vocant, spontè exoriatur, de cujus tamen eventu autores non conveniunt. Ita ut *quidam* demonstrant, quod nunquam superventus alterius primigenii morbi alleviationem ferre possit, sed nunquam non terrere metu sinistri judicii. *Alii* contrarium probare conantur, feliciorem eventum promittentes. Prostant pro utrâque parte autoritates & rationes. *Hippocrates l. d. aff. t. 23.* in morbis, *inquit*, si quidem alius super alium fiat, utplurimum occidit. Ratio hujus: Quum enim infirmo corpori à præsenti morbo alius morbus supervenerit, priùs præ imbecillitate perit, quàm morbus posterior desinat. Et talismodi naturæ ileus est, summè periculosus est, imò lethalis. Plurimos die tertio, haud paucos secundo interimit. Omne ferè auxilium respuit. Nulla omninò pars est, quæ infortunium ejus non persentiat. Vires destruuntur: Mors fores pulsat.

Ex adversâ parte stantes *alii* contra è *locis Hipp.* suam confirmant sententiam. Dolorem hypochondriorum absque inflammatione solvit febris *6. aph. 40.* Febris interventu apoplexiam curari sæpiùs in ebriis *ex. 5. aph. 5.* videmus. Deliria, cephalalgiam, oculorum dolorem, surditatem solvit febris *6. aph. 15.* Convulsioni superveniente febre, ista solvitur *2. a. 26. 4. a. 57. 5. a. 70.* Naturam imitari debet medicus. Solvit febris morbos à causâ frigidâ. Talis quoque in ileo si adsit, consultius est febrem artificialem inducere, utpote cujus calor incidendo, extenuando, discutiendo, ad æqualitatem perducendo, *consentiente Emanuel. Stupano comm. 6. a. 40.* materiam sive flatulenta sit sive viscida & crassa dissolvit, & ita affectum compescit.

Et hoc ipsum in nostro affectu proficuum dicit *Medicorum parens 6. aph. 44.* Quibus à stranguriâ volvulus supervenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superveniente copiosa

 urina

urina fluxerit. In cujus explicatione quidem *commentatores* non conveniunt, ita ut *Galenus* probabile haud esse dicat, oriri posse ileum à materiâ crassâ & viscidâ, & sic inflammationi, quam heîc in ileo cum *Galeno Victorius, Thriverus, Fuchsius* causam esse dicunt, febrem supervenientem nocivam magis esse contendit: Et licet tandem priùs concedere videatur, minimè tamen cum præsenti aphorismo id convenire, ipse profitetur, ac illegitimum hunc esse dicit. *Lindanus* verò & *alii plures* pro legitimo quidem proclamant, sed de ileo spurio, à flatibus exorto, intelligendum esse volunt. Nos cum *Foësio* putamus, hâc ipsâ *Hippocratis* ratione incredibilis auxilii vicem in ileo sanando obire posse πυρετὸν ἐπιγενόμενον, quatenus à causâ foveretur frigidâ & aliud contraindicans haud prohiberet. Consuli pluribus potest *Stephan. Rodericus Castrensis in opusc. quæ ex quibus inscripto.* item *Excell. D. D. Major Prof. Publ. Chilonensis in diss. suâ de febre artific.* ibidem habitâ.

CAPUT XV
diæta concludit.

EX NATURALI *nos* edocemur *1. aph. 7.* Quum morbus peracutus est, extremos protinus labores habet, summeque tenui victu est utendum. In nostro quoque affectu præcipuus curationis cardo in abstinentiâ vertitur: ita etiam cum *Riverio l. c.* in principio statim mobi ægrum ab omni alimento per 24. horas abstinere jubemus, ut materiæ morbificæ portio absumatur. Et si à vulneribus ileus oriretur penè fame per 40 dies conficiendi erunt. Concedimus postea ipsis victum tenuissimum, qualis ex mente *Gal.* est *melicrati sorbitio, ptisanæ cremor,* Conveniunt itidem *panatellæ, juscula pingvidiorum caponum, gallinarum. Riverius* per 4. aut 5. dies *tria tantum cochlearia jusculi* singulis diebus præbet, quò vomitus impediatur. Et ita est, quod alimentum exhibitum nullum ægrotanti adferat solatium; quippe non in nutritionem cedit, sed planè corrumpitur, & chylus à ventriculo in intestina prolabens, cum excrementis retentis permiscetur, & vomitionem auget.

Multi

Multi acida rejiciunt eò, quod inteſtinis adverſentur? Cum grano ⊖is hæc accipienda eſſe vult *Rolfineius*. Gratâ quæ gaudent aciditate, iis delectari, *dicit*, inteſtina. *Mala granata dulcoacida* haud improbat. Edulia modico *aceto* contemperata citra omne concedit periculum.

In potu paulò major concedi poteſt libertas. Aquam frigidam ſimplicem *multi* eligunt. *Nos* potius recommendamus ▽ hordei, vel alias potiones, ut ſunt emulſiones & julepi facilioris paratûs.

Vinum an ſit concedendnm, litigant autores. *Cæl. Aurel. 3. d. acut. paſſ. c. 16.* ob inflammationem partim, partim ob ſoporem, quem inducit, ad deobſtruenda inteſtina inconvenientem, iliacis denegat. *Horſtius* contra *cent. probl. therap. dec. 6. quæſt. 2.* modicum ſoporem ad dolorem & vires approbat, & ſic vinum concedit. Et ipſum *Hipp. 3. d. morb. & l. 2. epiſt.* ſi audiamus, potum generoſum hoc in affectu laudat, donec ſopor ſuperveniat. Negare quidem nemo poteſt, vinum non calefacere, præſertim generoſum; interim tamen & certum eſt, iſtud etiam humectare, humiditate quam natura ejusdem aquea ſuppeditat. Nutrire vinum & quàm facillimè ad partes langvidas tranſire, omnes penè confitentur, licet priùs neget *Mercurialis*. Vinum lenire dolorem tùm animi, tùm corporis, teſtatur *Scriptura S. ex Pſalm. 104. Luc. 10.* Flatus diſcutere autor eſt *Galenus Martinus l. d. promiſſ. doctr. 29.* Moderata vini potio vires reficit, calorem naturalem corroborat, humores temperat *inquit Ranzov. d. conſ. val. c. 8.* Hippocratem non in omni ileo vinum præſcribere, *dicit Mercur. 3. d. aff. inf. ventr. c. 29.* ſed in eo qui eſt à causâ frigidâ. *Nos* cum videamus tot & tanta ejus beneficia, & quod in febribus ardentibus quoque conceda tur, non veremur, in quocunqe ileo deſideranti admittere, ita tamen, ut modus ſervetur. Si adſit pituita vix inciſibilis, vinum potens aromatiſatum cum modico ▽ vitæ miſtum ſuggerit *Mercat. ſæpe cit.* Et *chimiſtarum* ſecretum eſt, cum vino albo oleum ⊕l. optimè præparatum exhibere.

Quid heîc valeat medicina infuſoria, *à ſupra. citato Joh. Dan. Majore* curioſè propoſita, tentare quis poſſet. Et fortean

 haud

haud minimum promittit levamen, si hâc ratione succus quidam nutritius ad partes omni nutritione destitutas transferatur, viresque integræ conservari possint, ut ita natura impedita parti affectæ eò melius succurrere valeat.

VITALIS, aërem respicit, & vult semper istum contrarium causæ, ita ut si inflammatio præstò sit, iste vergat ad humiditatem & frigiditatem; si verò à pituitâ & flatibus exoriatur, tunc ad caliditatem inclinet. Si natura talis non est, arte millenis modis parari potest.

Ultimam paginam absolvit ANIMALIS, secundum res nonnaturales ordinata. Nam cum facilè malum hoc redire consveverit, & si ex dictis unicum mediocritatem transcendat, extemplo revertatur, ideo summâ ope niti debemus, ne quid omittamus, quod sanitatem nostram recuperare valeat. Et lectorem cupidum remittimus heîc ad caput VI. Hæc omnia, si contrario modo eveniant, nullum dubium, quin similiter sanitatem restaurent, ac istam dejecerunt.

Nunc subsistimus. Et cum ipsi videamus, potuisse affectum hunc multò fusius & accuratius explicari; ideoque ea quæ minus rectè & accuratè fuêre proposita, æqui bonive B. L. judicet, & temporis, quod nobis concessum est, angustiæ adscribat, contendimus. Si quis etiam est, qui in proximi commodum nos meliora edocere velit, tantum abest, ut reprobemus, quin potiùs ambabus, ut dicitur, manibus acceptemus. Interim Divinæ majestati pro concessâ gratiâ gloriam & laudes accinimus. Velit hæc porro studia vitamque nostram ita dirigere, ut cedat semper in nominis divini sui honorem, proximique salutem.

Deo sit Gloria.

GUER-

GUERNERUS ROLFINCIUS,
PHIL. MED. DOCTOR, P. P.
SENIOR & p. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANUS,

CLARISSIMO

DN. CHRISTOPH. ERNESTO STEMPELIO

de

ſpecioſis in ſtudio medico progreſſibus

gratulatur

Α Ξ Ι Ο Σ

&

FELICITER

acclamans:

STEMPELI, Aoniæ decus palæſtræ!
dum magnas humeris ſubis laborum
moles: dumque, moleſtiis relictis,
cœptis quæris ab arduis honores.
Grator. Perge modò! Ut mereris, hisce
factis fama dabit pares honores.
VIRTUTI via nulla non aperta eſt!

Fulgida

Fulgida Pæoniæ, STEMPELI, gemmula sectæ,
auxilium præsens ægris appello labores,
perdius & pernox quos impiger hactenus ipse,
scripto testaris dignum meruisse favorem.
Felices proclamo manus, ægrisque salutem
Te duce continuam prædico. Nulla subinceps
abscondet famam sub opaca nube vetustas.

ita ominabatur

Joh. Theodorus Schenck

Med. D. Prof. P.

ÆGros queîs cumulet cruciatibus, ILEUS, eheu!
quæque his concilicet tormina: dicta probant.
Dum miseri clamant quiritando, gutture rauci:
ô Deus, ô medice ah! jam MISERERE MEI.
His qui ferre manus medicas scit STEMPELIUS, næ!
inter languentes magnus Apollo cluet.

Nobiliss. Clarissimoque Dn. Doctorando
gratulabundus adponit

PRÆSES.

SIc Patriæ *vixisse juvat, sic gaudia* Patri
Surgunt, sicque Tibi, Frater amande, *decus.*

Lætabundâ hâc gratulatione meritos Fratris sui cordicitùs dilecti honores excipere voluit, debuit

M. Johann Augustus Stempel

SS. Theol. Cultor.

FINIS.